



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Monitoria Directio Pro Ordinandis, Eorundemque  
Examinatoribus, animarum Curatoribus, & Religiosis  
secularium Confessariis**

**Agostini, Giuseppe**

**Coloniae Agrippinae, 1663**

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9994**






Th. 2768.


J

52











MONITORIA

DIRECTIO

*Ex legato Celsissimi principis Ferdinandi*

*Episcopi Paderubi: et Monast: 1683*

ORDINANDIS,

EORUNDÉMQUE

Examinatoribus, animarum Cu-  
ratoribus, & Religiosis se-  
cularium Confes-  
sariis.

*Juxta Exemplar impressum de An. 1644*

*Collegii S. I. I. Paderbornae.*  
COLONIAE AGRIPPINAE,  
Sumptibus JODOCI KALCOVII,

Anno M. DC. LXIII.

*Cum permissu Superiorum.*



MONTANA

DIRECTOR

GEORGE W. WILSON

BRIDGE

STREET

CHESTER

GEORGE W. WILSON

BRIDGE

STREET

CHESTER





ERDINANDVS Dei  
 & Apostolica Sedis gratia  
 electus & confirmatus Sa-  
 ctae Coloniensis Ecclesie Ar-  
 chiepiscopus, S. Romani Im-  
 perii Princeps Elector, & per Italiam Ar-  
 chicancellarius, eiusdem Sedis Apostolicae Le-  
 gatus natus: Episcopus ac Princeps Pader-  
 bornensis, Leodiensis, & Monasteriensis, Ad-  
 ministrator Hildesheimensis, Berchtesgaden-  
 sis, & Stabulensis: Comes Palatinus Rheni:  
 utriusque Bavariae, Westphaliae, Angariae, &  
 Bullionis Dux: Marchio Franchimontensis,  
 Comes Pirmontensis, Loffensis, Longiensis,  
 Sternenbergensis, & Hornensis, &c. Venera-  
 bili Clero & Universis ac singulis Christi fi-  
 delibus Civitatis & Archidiecepsis Nostrae  
 Coloniensis salutem in Domino sempiter-  
 nam.

Pastoralis nostri officii cura presentis-  
 que temporis calamitas exigit, ut accura-  
 tissimus eorum delectus habeatur, quorum  
 desiderant ordinibus Ecclesiasticis initiari,



cum harum miseriarum fons & scaturigo, quibus gravissimè totus ferè Christianus Orbis premitur & afflicatur, à Ministrorum Ecclesie vitâ corruptiore & moribus alienis à nomine, statuque Clericali profu- xerit, & emanarit, quorum permulti pror- sus inhabiles sunt ad Sacrorum Ordinum functiones. Vnde mirificè nos angit & soli- citos habet, ut diligenter oberuentur ea, quæ Sacri Canones, Oecumenica Concilia, præcipuè Sacro - Sanctum Tridentinum pro Germaniæ reformatione potissimùm institu- tum, nec non Provincialia & Synodalia Coloniensia de qualitatibus promovendo- rum ad Sacros Ordines, adjecto salubri me- tu censurarum & pœnarum Ecclesiastica- rum, laudabiliter statuerunt. Sed cum multi- rudes, & eorum Canonum prorsus ignari reperiantur, ideo ne per ignorantiam tam scitu necessariorum statutorum peccaretur, hætenus initiandis paulò ante stata genera- lium ordinationum tempora, nostras præ- sentes literas ad Ecclesie nostræ Metropoli- tanae valvas affixas iterùm, iterumque pu- blica-



blicavimus, & ne exciderent, memoriam eorum reficavimus. Quò magis in culpâ sunt & acrius reprehendendi, qui toties publicatis statutis & decretis non obtemperant, sibi illud Christi dictum scientes: Servus, qui cognovit voluntatem Domini sui, & non fecit voluntatem ejus, vapulabit multis. (a) Cujus ut rigorem & pœnas, aliasque censuras Ecclesiasticas evadant, quæ sequuntur, diligenter deinceps observari mandamus.

(a) LUC. 12. 47.

Ordines à quo Episcopo accipiendi.

I. **I**N primis itaque sciant omnes tam ad primam tonsuram, quàm Ecclesiasticos Ordines aspirantes, unumquemque à proprio Episcopo ordinari debere, & ab executione ordinis, quem ab alieno Episcopo sine proprii sui Antistitis consensu acceperit, esse suspensum; Vicario autem nostro in Pontificalibus Generali tam ex lege divinâ,

A 3

quàm



quàm ex Provincialibus ac Synodali-  
 bus Provinciae ac Diœcesis nostrae Co-  
 loniensiſ statutis potissimùm incumbere,  
 ut manus citò nemini imponat, sed  
 ascitis sibi Sacerdotibus & aliis pruden-  
 tibus viis, divinae legis ac Sacrorum  
 Canonum peritis atque in Ecclesiasti-  
 cis functionibus exercitatis, diligenter  
 prius investiget & examinet ordinan-  
 dorum natales, fidem, aetatem, institutio-  
 nem, mores, doctrinam, titulum, cæteras-  
 que qualitates in suscipiendis ordinibus  
 requisitas, ne si indignos Sacro Ordine  
 initiaverit, fiat participes alienorum pec-  
 catorum, & scandala quæ consequen-  
 tur, ipsi adscribantur.

(a) Conc. Trid. sess. 6. de reform. cap. 5.  
 sess. 7. de reform. c. 11. sess. 14. de reform. c. 2.  
 & 3. & sess. 23. de reform. c. 3. 8. 10. Statuta  
 Sifridi Archiepiscopi Colon. c. 9. §. item om-  
 nes, & c. pag. 44. vidē Fel. rec. Urbani VIII.  
 Constit. 33. Bull. tom. 4. (b) 1. Tim. 5. 22.  
 c. nullus, c. quando, dist. 24. Conc. Trident.  
 sess. 23. de reform. c. 7. 11. & 12. Conc. Pro-  
 vinc.



*vinc. Colon. sub Hermanno V. p. I. c. 16.  
17. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 29. & 30.  
& sub Adolpho III. tit. de altero Medio. c.  
deinde visum, c. quoniam vero, pag. 431.*

*Litteræ dimissoriae à quo impetranda.*

II. Quare nemo Civitatis aut Archidiœcesis Nostræ Coloniensis vel secularis, vel Regularis ad primam tonsuram aut aliquem ordinem Ecclesiasticum coram alieno (a) Episcopo se præsentet, nisi de speciali Nostrâ, nostrive Vicarii in Pontificalibus Generalis licentia in scriptis obtenta: neque etiam qui alterius Diœcesis est, nostro in Pontificalibus Vicario præsentetur absque Antistitis sui Diœcesani litteris dimissorialibus, in quibus & ipsius vitæ ac morum probitas, doctrina, cæteræque qualitates ad Ecclesiasticos ordines suscipiendos necessariæ, commendentur. Litteræ verò dimissoriæ (b) ab alio, quàm à proprio Ordinario Diœcesano impetratæ, nullius sint roboris seu mo-



menti, nisi à Capitulo Cathedrali post annum à die vacantis Sedis Episcopalis, aut infra eum annum ubi Ecclesiastici beneficii recepti, aut recipiendi occasione ordinandus fuerit arctatus.

(a) *c. l. c. cum nullus, c. nullus, de temp. ord. in 6. Conc. Trid. sess. 23. de reform. c. 3. 8. & 10. Conc. Provinc. Colon. sub Hermano V. p. 1. c. 29. & sub Adolpho III. c. statuimus, pag. 432.* (b) *Conc. Trid. sess. 7. de reform. c. 10.*

*Illegitimi nec prima tonsura, nec ullo ordine initiandi. absque dispensatione.*

III. Qui non est de legitimo matrimonio natus, tum propter Clericalem dignitatem, & paterni criminis detestationem: tum etiam quia talis metuitur futurus incontinentiæ paternæ imitator, à susceptione primæ tonsuræ pariter & Ordinum rejicitur, nisi à bonâ indole, vitæque & morum probitate ac pietate ita commendetur, ut non pater-  
ni



ni criminis sectator, sed vitâ & exemplo  
suo pietatis & cultus Dei apud alios spe-  
retur zelator; quo casu ad (a) primam  
tonsuram, minores ordines atque sim-  
plex beneficium Ecclesiasticum, per  
Archiepiscopalem Nostram dispensa-  
tionem: ad Sacros verò Ordines & alia  
beneficia Ecclesiastica non nisi per dis-  
pensationem Sedis Apostolicæ poterit  
promoveri, quare is dispensationem  
ejusmodi super defectu natalium in  
scriptis habeat, priusquam ad Clerica-  
lem tonsuram se præsentet, alioquin ab  
illa repellendus.

*c. inter dilectos, de excess. Prælat. c. propo-  
sisti, dist. 82. c. si gens Anglorum, dist. 56.*

*(a) c. i. de filiis Presbyt. in 6.*

*Ordinati habeant testimonium ordinis  
suscepti ab Episcopo Ordinatore.*

IV. Ne quis fingat se esse in aliquo  
ordine, in quo non sit, singuli tam Re-  
gulares etiam ordinum mendicantium,

A. S.

quàm



quàm seculares docebunt de prima tonsura, & ordinibus susceptis testimonio Episcopi: Ordinatoris per literas (quæ formatae vulgò dicuntur) à Scriba seu Notario ipsius Episcopi subscriptas, & sigillo ejusdem Episcopi communitas, antequam ad altiorem ordinem admittantur.

*Statuta Henrici Archiep. Colon. cap. 9. pag. 102. Conc. Provinciale Colon. sub Her-  
manno V. parte I. c. 31.*

*Requisita in eo, qui Clericali tonsurâ  
initiari cupit.*

V. Primâ tonsurâ nemo initietur, nisi sit origine vel domicilio Diœcesanus noster Coloniensis, baptizatus, Sacri Chrysmatis unctione confirmatus, de legitimo toro, ex Catholicis parentibus, & ut minimum septem annos natus, fidei Catholicæ rudimenta edoctus, legendi & scribendi, etiam linguæ Latinæ jactis fundamentis, peritus, coram No-  
bis,



bis, seu Nostro Generali in Pontificali-  
bus Vicario testari paratus, se non judi-  
cii secularis fugiendi causa, sed Deo li-  
berius serviendi, hoc primo Clerico-  
rum caractere insigniri velle; quique  
non habeat de his requisitis, ac de vitæ,  
morumque probitate & litteraturâ suf-  
ficiens testimonium, tum à proprio Pa-  
rocho loci, ubi baptizatus fuit & nota-  
bili tempore immediatè antea degit,  
juxta formulam subsequenti num. 6. vel 7.  
præscriptam, tum etiam à Magistro  
scholæ in qua studuit.

(a) c. 1. & c. fin. de Presb. nonbapt. c. fin.  
ubi gloss. verb. infanti, de temp. ord. in 6.  
Conc. Trid. sess. 23. de reform. c. 4. Statuta  
Sifridi Archiep. Colon. c. 5. in fin. pag. 38.

Formula testimonialium dandarum  
per Pastorem loci, super natali-  
libus, Baptismo, ætate, & Con-  
firmatione Ordinandorum.

V. I. *Universis ac singulis ad quos spe-  
ctat notum facio, atque præsentium tenore*

A G

testi-



testificor ego subscriptus Pastor Ecclesie Pa-  
 rochialis N. loci de N. Coloniensis Dioecesis,  
 quod N. fuerit de legitimo toro ex Catholi-  
 cis parentibus N. & N. sub Parochia mea  
 predicta degentibus procreatus, baptizatus  
 in eadem Ecclesia die N. Mensis N. Anni N.  
 idemque de sacro fonte susceptus à N. &  
 N. sicut constat ex libro, in quo nomina ba-  
 ptizatorum totius hujus Parochie annotata  
 reperiuntur, quodque idem N. Sacro Chris-  
 mate confirmatus fuerit die N. Mensis N.  
 Anno N. à Reverendissimo Domino N. Epis-  
 copo N. in Ecclesia N. prout patet ex libro,  
 in quo etiam nomina Confirmatorum hujus  
 Parochie conscripta sunt. In cuius rei  
 fidem hasce litteras propria mea  
 manu scripsi ac subscripsi  
 in loco N. die N. Men-  
 sis N. Anno N.

Quam



Quando autem, deficiente libro Baptizatorum & Confirmatorum, ex depositione testium dandæ erunt ejusmodi testimoniales, dentur secundum formulam sequentem.

VII. *Universis ac singulis ad quos spectat notum facio, atque presentium tenore testificor ego subscriptus Pastor Ecclesie Parochialis N. loci de N. Coloniensis Diocesis, N. fuisse de legitimo toro ex Catholicis parentibus N. & N. sub Parochia mea predicta commorantibus procreatum, & in Ecclesia N. baptizatum, agereque etatis sue annum N. nec non sacro Chrismate confirmatum à Reverendissimo Domino N. Episcopo N. in Ecclesia seu loco N. die N. Mensis N. Anno N. prout mihi retulerunt N. & N. Parentes ejus, vel Susceptores, vel viri fide dignissimi, idque jurejurando in manibus meis præstito affirmarunt, & se id scire, quia &c. nec aliter ejusdem N. natales, Baptismus, etas, & Confirmatio sciri potuerunt, eo quod liber*



baptizatorum & confirmatorum occasione  
 bellorum fuerit deperditus, vel laceratus, vel  
 &c. In cuius rei fidem has litteras propria  
 mea manu scripsi & subscripsi in loco N. die  
 N. Mensis N. Anno N.

Desiderata in iis, qui ad minores ordines pe-  
 tunt promoveri.

VII. Ad minores Ordines promo-  
 vendus, non solum præditus sit omni-  
 bus qualitatibus ad primam tonsuram  
 suscipiendam requisitis; sed etiam ea-  
 dem tonsura insignitus; & si non origine  
 (a) aut domicilio, saltem Ecclesiastico  
 beneficio Diocesanus noster Colonien-  
 sis, aut proprii sui Ordinarii Diocesani  
 litteris Dimissorialibus munitus, lin-  
 guam latinam intelligat, & habeat quo-  
 que non pauciores, quam duodecim æ-  
 tatis suæ annos, (b) bonū à Parocho suo  
 & Magistro scholæ in qua studuit, & ab  
 iis etiam, apud quos potiorē vitæ par-  
 tē transegit ac diversatus est, de vitæ  
 morumq; probitate, doctrinâ, ingenio,  
 &



& indole testimonium, eorumq; commendatione se ea voluntate, ingenio & indole præditū doceat, ut non suæ commoditatis gratia, sed Dei tantū causa ad capescendos ordines aspirare credatur, vitæque & exemplo suo alios ad pietatem & cultum Dei esse pertracturum speretur.

(a) citato c. cum nullus. (b) Conc. Trid. sess. 23. de reform. c. 5. II. 13. & 17. Statuta Sifridi Archiep. Colon. c. 9. in fin. pag. 44. Conc. Provinc. Colon. sub Hermanno V. parte I. c. 19. & 27.

*Minoribus ordinandi serrent interstitia.*

IX. Nullus se præsentet ad plures ordines minores simul suscipiendos, nisi aliud Episcopo magis expedire videatur, cum extra hunc casum (a) Concilium Tridentinum voluerit temporum interstitia tam in minoribus, quam majoribus



joribus Ordinibus servari, nec quem-  
 quam ad sacrum Subdiaconatus Ordi-  
 nem ante annum elapsum ab Accolyta-  
 tus susceptione promoveri, ut eo accu-  
 ratius, quantum sit hujus disciplinæ  
 pondus, possit edoceri, & in unoquo-  
 que Ordine se exerceat, idque in ea, cui  
 adscriptus erit, Ecclesiâ, nisi fortè causa  
 studiorum absit, atque ita de gradu in  
 gradum ascendat, ut in ipso, cum ætate  
 vitæ meritum & doctrina major accres-  
 cat, quod & bonorum morum exem-  
 plum & assiduum in Ecclesia ministe-  
 rium, atque major erga Presbyteros &  
 superiores Ordines reverentiâ, & cre-  
 brior, quam antea, Corporis Christi  
 communio maximè comprobabunt.

(a) *Conc. Trid. sess. 23. de reform. c. II.*  
*¶ 17. Statuta Sifridi Archiep. Colon. c. 2.*  
*in fin. pag. 44.*

*Nullus*



*Nullius ordinis ministerium præstetur ab eo,  
qui in illo ordine non est.*

X. Dent operam ii, quibus divini officii cura incumbit, ut nullius ordinis ministerium per alios exerceatur, quam per constitutos in ipso ordine, qui Clericalem habitum & tonsuram deferant. Porrò ut Clerici cœlibes non inveniantur, qui ministeriis quatuor minorum Ordinum exercendis præsto sint, suffi-  
ci possunt etiam conjugati, vitæ probatæ, dummodo non bigami, ad ea munia obeunda idonei, & qui tonsuram atque habitum Clericalem in Ecclesia gestent. (a)

(a) *Conc. Trid. sess. 25. de reform. c. 17.*

*Ordinandi debent servare interstitia, & à  
Pastoribus adferre testimonium de pro-  
clamationibus factis.*

XI. Qui vero ad ordines majores se præsentare voluerint, multò magis in-  
telli-



telligant sibi in re tanti momenti non esse festinandum, sed ea, quæ in Sacrosancto Concilio Tridentino de singulis Ordinibus per temporum interstitia conferendis, & ordinatis in unoquoque ordine exercendis ac probandis facta sunt, exactissimè esse servanda. (a) Quin etiam per mensem ante ordinationem Parochum suum adeant, ut is juxta præscriptum Concilii Tridentini, (b) ac statuta decessoris nostri Adolphi 3. Archiepiscopi Coloniensis (c) nominibus ac desiderio eorum, trinâ proclamatione, tribus diversis Dominicis aut festis diebus, publicè in templo propositis, instar proclamationum matrimonialium, omnes moneat, ut si quod noverint Canonicum impedimentum, ob quod, qui volunt ordinari, à suscipiendis ordinibus repelli debeant, denuntient; idemque Parochus de ipsorum ordinandorum natalibus, ætate, vitâ & moribus, à fidedignis diligenter inquireat; & litteras testimoniales clausas

fas



fas & consignatas ipsam proclamationem & inquisitionem factam continentes, ad nostrum in Pontificalibus Vicarium quamprimum transmittat, vel ordinandis ad eum perferendas tradat, cum declaratione num aliquod Canonicum impedimentum (ob quod ad sacros Ordines admitti non debeant) sit denunciatum, & qui de eis non docuerit, rejiciatur.

(a) Conc. Trid. sess. 23. de reform. c. II. 13. & 14. (b) Conc. Trid. sess. cit. cap. 5. (c) Statuta Adolphi III. Archiep. Colon. pag. 432. §. quoniam non oportet, & pag. 486. col. I. §. fin.

*Quo modo & tempore trina proclamatio fieri debeat.*

XII. Salubris hæc Concilii Tridentini & decessoris nostri Adolphi III. ordinatio utiliter servari poterit, si primum pro ordine subdiaconatus, sicut in Matrimonialibus, trinæ; deinde pro ordine



ordine tam Diaconatus, quam Presbyteratus unica proclamatio & inquisitio fiat, ad deprehendendum eorum fraudes, qui Matrimonii vinculis, aut illicitis pollicitationibus implicati, & ad repellendum eos ab ordinibus majoribus, qui gravioribus fortè criminibus involutè subdolè se ingerunt. Quæ inquisitiones eo pertinere creduntur; ut aptius, juxta Pontificale, cohæreant, quæ de testimonio populi, in suscipiendis ordinibus, ex veteri Sanctæ Matris Ecclesiæ consuetudine requiruntur. (a)

(a) *Conc. Provinc. Colon. sub Hermanno V. p. 1. c. 19. Pontif. Rom. tit. de Ordinat. Presbyt.*

XIII. Parochus ergo cum primum resciverit suorum aliquem sacris initiari velle, statim Dominico vel Festo die inter Missarum solennia denunciationem faciat in hanc sententiam, vernaculâ linguâ.

Formu-



Formula faciendi denunciations pro  
ordinando.

Notum sit Dilectioni Vestrae, quod die N.  
Mensis N. fient sacra ordinationes in Ecclesia  
N. quodque N. N. filius N. Deo adjuvante  
intendat suscipere sacrum Ordinem N. titu-  
lo perpetui beneficii Ecclesiastici valbris annui  
quadraginta Dalerorum Colonienfium, quod  
sub invocatione seu ad Altare S. N. in Eccle-  
fia N. loci N. Canonice, vere ac pacifice,  
absq; ulla lite seu vitio obtinere dicitur. Qua-  
propter admonemus omnes ac singulos, tam  
hic presentes, quam absentes, ut si quis sciat  
aliquem defectum vel quodvis aliud subesse  
impedimentum, propter quod ille N. non de-  
beat predicto sacro Ordine N. initiari, vel  
sciat illum non legitime, vel non pacifice be-  
neficium supradictum possidere, aut annuos  
ipsius beneficii redditus & obventiones quo-  
tannis ad quadraginta daleros Colonienfes  
non accedere, hoc ipsum quamprimum Re-  
verendissimo Domino Episcopo Ordinatori,  
vel mihi indicet, idque admonemus primo,

si



si fuerit prima; vel secundo, si fuerit secunda, vel tertio, si fuerit tertia denunciatio.

Si ordinandus sit aliquis absque titulo beneficii, omittantur in prædicta forma, quæ faciunt mentionem beneficii.

Formula testimonialium per Pastorem loci dandarum super denunciationibus factis pro Ordinando.

XIV. *Universis ac singulis ad quos spectat notum facio, atque tenore presentium testificor ego subscriptus Pastor Ecclesie Parochialis N. loci de N. Coloniensis Diocesis, quod die N. Mensis N. Anni N. inter Missarum solemniam, dum frequens adesset populus, denunciaverim N. filium N. aspirare ad Sacrum Ordinem N. ad titulum perpetui beneficii Ecclesiastici, valoris annui quadraginta Dalerorum Coloniensium, quod sub invocatione seu ad Altare Sancti N. in Ecclesia N. loci N. Coloniensis Diocesis Canonice,*



nicè, verè ac pacificè sine ulla lite, vitiove  
obtinere dicitur, ut si quis sciret aliquam sub-  
esse fraudem, fictionem, vel defectum in ti-  
tulo beneficii, aut illius annuo valore, aut  
quodcunque ipsius N. vitium seu impedi-  
mentum, propter quod non debeat ipse N. ad  
prædictum Sacrum Ordinem N. non promo-  
veri, quamprimum Reverendissimo Domino  
Episcopo Ordinatore aut mihi significaret;  
neque hucusque quidquam significatum fuit,  
vel detectum, quod videatur impedire posse,  
quo minus prædictus N. ad supradictum Sa-  
crum Ordinem N. promoveri possit. In quo-  
rum fidem hasce literas propria manu scri-  
psi ac subscripsi. In loco N. die N. Mensis N.  
Anno N.

*Quinam Ordinum sint incapaces.*

XV. Verùm ne denunciationes, &  
inquisitiones huiusmodi fructu suo ca-  
reant, non satis est, eas utcunque fecisse,  
sed Parochus proclamationem & inqui-  
sitionem faciens, eodem tempore etiam  
populo



populo explicabit, quinam ordinari à Sacris Canonibus prohibeantur: prohibentur autem hi.

1. Alienæ Diœcesis subditus absque Diœcesani sui Antistitis literis dimissorialibus, *c. cum nullus, c. nullus, de temp. ord. in 6. Conc. Trid. sess. 23. de reform. c. 8.*

2. Non baptizatus, quia Baptismus est omnium aliorum Sacramentorum janua, & fundamentum, *c. 1. & 3. de Presbyt. non baptiz. c. 2. de cognat. spirit. in 6.*

3. Baptizatus in ægritudine; non enim fides illius voluntaria, sed ex necessitate est; nisi fortè postea studium & fides ejusdem probabilis fuerit, aut hominum raritas exegerit, *c. 1. dist. 57.*

4. Baptizatus apud hæreticos, si modo adultus fuerit, non infans: nam huic parentum error nihil officit, *c. qui in qualibet, i. q. 7. c. placuit, cum seq. i. q. 4.*

5. Rebaptizatus vel rebaptizans, *cap. confirmandum, dist. 50. cap. qui bis, & ibi gloss. de consec. distinct. 4. cap. 2. de Apostatis.*



6. Neophytus, c. 1. & 2. dist. 48. cap. communiter, dist. 33. c. fin. dist. 51.

7. Sacro Chrismate non confirmatus, Conc. Trid. sess. 23. de reform. c. 4.

8. Mulier, tanquam ordinis prorsus incapax, c. mulieres, dist. 32. c. nova, de pœnit. & remiss.

9. Hermaphroditus, DD. in c. si testes, S. Hermaphroditus, 4. q. 2. c. 1. dist. 36.

10. Illegitimè natus, c. 1. c. 2. cap. ad hæc, c. fin. de fil. Presb. c. cum in cunctis, de elect. c. consuluit, de servis non ordin.

11. Hæreticorum filius usque ad secundam paternam & primam maternam generationem, c. vergentis, de hæret. c. quicumque, c. statutum, de hæret. in 6.

12. Amens, Arreptitius, Energumenus, & qui aliquando in furorem actus, vel à diabolo exagitatus fuit, aut Comitiali morbo obnoxius, vel alia infirmitate corporis perpetua laborans, c. maritum, c. communiter, cap. Clerici, & seq. dist. 33. c. in tuis literis, 7. q. 2.

13. Leprosus, vel enormem scabiem

B

perpe-



perpetuò habent, *c. hinc etenim, dist. 49.*

14. Minor nati, *c. in singulis, dist. 77. c. fin. & ibi gloss. de temp. ord. in 6.*

15. Illiteratus, & ignarus eorum, quæ ad ordinem, quem petit, requiruntur, *c. precipimus, dist. 34. c. illiteratos, dist. 36. c. Sacerdotes, dist. 49. c. pœnitentes, dist. 50. c. fin. de atat. & qualit. ordin. & cap. fin. de temp. ordin. in 6.* Quæ autem & quanta literarum cognitio in singulis ordinibus requiratur, explicatius definit, *Concil. Trid. sess. 23. de reform.* Videlicet de prima tonsura, *c. 4.* quo ad minores ordines *c. 11.* & quo ad Subdiaconatum, ac Diaconatum *cap. 13.* quo ad Presbyterarum *c. 14.*

16. Infra debitam, & à Concilio Trid. præscriptam ætatem non constitutus, *Conc. Trid. sess. 23. de reform. c. 12.*

17. SuffICIENTEM titulum beneficii, patrimonii, vel pensionis non habens, *dist. 70. per totam, c. cum secundum, c. tuis, de præb. c. accepimus, de atat. & qualit. ord. Conc. Trid. sess. 21. de reform. c. 2. sess. 23. de reform. c. 16.*

18. Ser<sub>3</sub>



18. Servus, originarius, curialis, aut simili conditioni obnoxius, nisi prius à domino suo fuerit manumissus, & etiam libertatem consecutus, *c. præcipimus, dist. 34. c. nullus, c. nulli, c. si quis obligatus, c. quis aut. c. generalis, c. admittuntur, dist. 54. c. 1. c. de servorum, c. consuluit, de servis non ordin.*

19. Qui reddendis rationibus publicis obnoxius est, ante officium finitum & rationes redditas, *c. præcipimus, dist. 34. c. 1. & 2. dist. 51. c. legem, dist. 53. c. magnus, dist. 54. c. 1. de oblig. ad ratio. ord.*

20. Matrimonii vinculo obnoxius, *dist. 27. 28. & 32. per tot. & c. coniugatus, de convers. conjug.*

21. Truncatus, mutilatus, aut corpore vitiatus, & notabilem aliquem corporis defectum seu deformitatem patiens, quæ in scandalum publicum vergere possit, sive sponte, sive alieno facto, sive fortuitu ea deformitas obtigerit, *c. qui partem, c. si Evangelica, dist. 55. per totum, tit. de corpore vitiatis.*



22. Bigamus, *c. maritum*, *dist. 33. cap. precipimus*, *dist. 34. c. nullus*, *dist. 50. cap. 1. & 2. de bigam. non ordin.*

23. Qui uxorem adulteram retinuerit, cognoveritque, sive scienter, sive ignoranter, *dist. 34. per totam.*

24. Lapsus post ordinem susceptum, *c. 1. c. qui semel, c. si post, distinct. 50.*

25. Qui in Ordinibus malè susceptis, vel nondum susceptis ministravit, *cap. 1. & 2. de Cler. nond. ord. ministr.*

26. Furtim per saltum promotus, *c. innotuit, de eo qui furt. ord. susc. c. 1. de Cleric. per saltum promot. Conc. Trid. sess. 23. de reform. c. 14. in fin.*

27. Alexæ, ebrietati, gulæ, aut impudicitiaë deditus, *c. ut Clericorum, c. à crapula, de vita & honest. Cler. c. inter dilectos, de excess. Prælat.*

28. Qui publicam ac solemnem pœnitentiam egerit, *c. maritum, dist. 13. c. pœnitentes, c. illud quoque, c. in capite, cap. placuit.*

29. Usurarius, Simoniacus, Sacrile-  
gus,



gus, *c. maritum*, dist. 33. *c. Clerici*, de vita & honest. Cler.

30. Qui ex ira vel desperatione violentas sibi manus intulit, vel sponte sibi aliquod membrum præscidit, cum hic sui homicida sit & Dei conditionis inimicus, *c. qui partem*, *c. si quis abscindet*, cap. *hi qui*, dist. 55.

31. Qui culpa sua hominem occiderit, aut mutilaverit, *c. miror*, *c. Clericum*, dist. 50. *c. i. c. continebatur*, cap. *de cæteris*, de homic. Conc. Trid. sess. 14. de reform. *c. 7.*

32. Imò quisquis per justitiam seu justo iudicio cooperans id fecerit, *c. aliquantos*, dist. 51.

33. Gravi aliquo crimine irretitus, ut Hæreticus, Schismaticus, Apostata, qui deseruit susceptam à se Christianam fidem, vel Monasticam Religionem, vel Sacrum Ordinem, etiam postquam reconciliatus fuerit, cap. *de liguribus*, 2. 3. q. 5. *c. i. & 2. de schismat. c. quicumque*, *c. statutum*, de hæret. in 6. Adulter, perjurus, falsari<sup>9</sup>, aliq; similes, de quibus *c. infames*, 6. q. 7. & 1. q. 7. per tot. B 3 34. De-



34. Denique quivis alius criminosus, infamis, irregularis aut excommunicatus majori excommunicatione, suspensus ab ordine, interdictus sub pœna suspensionis ab ordinis sic suscepti executione, aut depositionis in perpetuū, & durante excommunicatione, suspensione, vel interdicto, *Navar. in Manual. cap. 27. n. 12. 24. & 244.*

*Pastores & Concionatores populum ad  
precandum pro ordinis  
hortabuntur.*

XVI. Quin & universus populus a Pastoribus & Concionatoribus Dominico die quamlibet Sacram ordinationem generalem proximè antecedente commoneatur, ut, cum plerumque pro merito populi disponatur ordinandorum electio, jejniis jam inde ab initio nascentis Ecclesiæ in hunc finem ante singulas ordinationes indictis, (a) nec non piis sanctisque precibus, toto corde



de ad Deum convertatur, suaque humili-  
miliatione & conversione ab eo impe-  
tret, ut Episcopi, eorumque coopera-  
tores, in examinandis, deligendis & or-  
dinandis Ecclesiae Ministris, suo rectè  
perfungantur officio, talesque produ-  
cendos in messem suam operarios sub-  
ministret, qui ei secundum cor suum &  
animam suam, in omni sanctitate & ju-  
stitiâ, omnibus diebus vitæ suæ in mu-  
nere suo serviant.

(a) *Actor. 13. & 14. Catechismus Rom.  
parte 2. c. 7. n. 26.*

XVII. Ne quis statim à stivâ ad Sa-  
cros Ordines provehatur, & qui paulò  
ante adhuc totus sæcularis erat, cum  
scandalo & offensione populi brevi  
post temporis intervallo Sacerdos or-  
dinetur, antequam satis probatus sit, &  
in unoquoque munere, juxta approba-  
tos à Sancta Ecclesia Catholica ritus &  
cæremonias exercitatus; volumus ut  
nemo deinceps Subdiaconus, vel Dia-



cõnus ad Superiorem Ordinem promoteatur, nisi præter Catechismum Romanum, aliosq; pro requisita scientia necessarios libros, ante Directorium Sacerdotale continens ritus & regulas Missas devotè celebrandi atque ministrandi, sive Bartholomei Gavanti Commentarium, in Rubricas Missalis, vel Compendium cæremoniæ in celebratione divinorum Officiorum observandarum, sibi comparaverit, & ex iisdem ritus atque cæremonias Sacrificii Missæ privatæ ac solemnis perfectè didicisse, in examine Ordinandorum debite probaverit, nec non juxta eorundem præscriptum, in Ecclesia, cui ordinandus est adscriptus; aut alia, Ordinis, in quo est constitutus, ministerio laudatè fuerit functus; vetat enim antiquitas in Ecclesia Dei observata consuetudo, eos ad superiores Ordines promoveri, qui in minorum functione se non declaraverint idoneos.

*Ad*



*Ad Ordines Sacros non admittentur  
nisi qui attulerint testimonia  
hic præscripta.*

XVIII. Sciant igitur promovendi ad singulos Ordines Majores, neminem à nostro in Pontificalibus Vicario deinceps Ordinandum, nisi examinandus exhibeat eidem Nostro Vicario fide digna testimonia, quod à novissimo Ordine suscepto honestè ac laudabiliter vixerit, Clericalem habitum ac tonsuram semper detulerit, horas Canonicas quotidie recitaverit, in Ordinibus susceptis se ritè & debitè exercuerit, sæpius Sacram Eucharistiam sumpserit, atque novas proclamationes (*sicut supra n. 13. & 14. & seq. præscribitur.*) fieri curaverit in Ecclesia Parochiali sub quâ habitat: Item nisi testimoniales literas habeat ætatis suæ per Parochum inspecto libro Baptismali, aut auditis parentum vel susceptorum, vel iis deficienti-

B 5

bus



bus aliorum fide dignorum testium depositionibus, fideliter expeditas secundum formulas supra numer. 6. & 7. annotatas, titulique sufficientis documenta.

1. *Ætas ordinandorum ad Subdiaconatum, Diaconatum & Presbyteratum servanda, etiam per Regulares examinandos ab Episcopo.*
2. *Ordinatorum ante ætatem, extra tempora à jure statuta, & sine literis dimissoriis, pœna.*

XIX. Circa Ordinandorum ætatem fervetur decretum Concilii Tridentini, (a) nimirum ut nullus ad Subdiaconatus ante vigesimum secundum, ad Diaconatus ante vigesimum tertium, ad Presbyteratus ante vigesimum quintum ætatis suæ annum inchoatum promoveatur. Neque singuli in ea ætate constituti debent ad hos ordines assumi, sed digni duntaxat, & quorum probata

vita



vita senectus sit. Regulares quoque nec  
in minore ætate, nec sine diligenti Epi-  
scopi examine, quemadmodum in eo-  
dem Concilio Tridentino (a) præscri-  
ptum est, ordinentur: privilegiis qui-  
buscunque, quoad hoc, penitus exclu-  
sis. Si quis autem vel sæcularis, vel Re-  
gularis absque speciali dispensatione  
Apostolica, ante hujusmodi ætatem ad  
aliquem ex Sacris Ordinibus se fecerit  
promoveri, à suorum ordinum execu-  
tione ipso jure sit suspensus; & si cã sus-  
pensione durante, in iisdem Ordini-  
bus ministrare præsumpserit, eo ipso  
irregularitatem incurrat, præter alias  
pœnas, in tales generaliter à jure infli-  
ctas, beneficiis Ecclesiasticis, quæ ob-  
tinet, potest jure privari; quæ omnia  
& singula ex Constitutione fel. rec. Pii  
II. Pontificis Maximi (b) etiam in iis lo-  
cum habent, qui extra tempora à jure  
statuta, vel absque literis dimissoriis An-  
tistitis sui Diœcesani Sacris Ordinibus  
se ingerunt.



(a) *Conc. Trid. sess. 23. de reform. c. 12. Conc. Provinc. Colon. sub Henrico Archiep. c. 8. pag. 80. & 93. col. 2.* (b) *Pii Papæ II. Constit. 7. tom. I. Bullarii.*

*Nemo ordinandus est absque Canonico titulo beneficiali pacificè possesso.*

XX. Cum nullus ad ordines titulo beneficii Ecclesiastici quantumvis optimi promoveri debeat, nisi Canonicam institutionem, & pacificam possessionem ejusdem beneficii se obtinere antea probaverit; (a) idcirco qui ad Ordinem Subdiaconatus se præsentare voluerint, maturè prius examinata illius muneris, ad quod aspirat, dignitate, & si onus quod ultrò appetunt (nempè perpetuam castitatem servandi, & Dei servitio atque Ecclesiæ ministerio se totos mancipandi) vires eorum, Deo adjuvante, excedere non sperent, compareant aliquot diebus ante ipsam ordinationem, coram Nostro in Pontificali-  
bus



bus Vicario, cum documentis collationis seu institutionis, possessionis, nec non annui valoris sui beneficii, ad cuius titulum promoveri intendunt: quæ si sufficientia judicaverit, hoc suo scripto testabitur, ne cum ad examen vitæ & doctrinæ venit, hæc inquisitio, eundem nostrum Vicarium seu Examinatores ad id deputatos diutius remoretur.

(a) *Conc. Trid. sess. 21. de reform. cap. 2. Conc. Provinc. Colon. sub Hermanno V. parte prima, c. 30.*

*Titulus Ordinandorum qualis, & plura quæ eò spectant.*

XXI. Titulus benefitialis sit annui redditus quadraginta, ut minimum, Dalerorum Coloniensium, omnibus oneribus deductis, qui titulus in Registro Episcopi Ordinatoris & literis ordinati disertè exprimatur. Et quò fraudibus ordinandorum occurratur, qui suum ti-



tulum sæpè resignant contra prohibi-  
 tionem Concilii Tridentini, (a) quod  
 expressè declarat, hujusmodi titulum  
 resignari non posse, nisi factâ mentione,  
 quod ad illum titulum resignans sit or-  
 dinatus, neque eam resignationem pos-  
 se admitti, nisi constito, quod resignans  
 aliunde vivere commodè possit, & ali-  
 ter factam resignationem nullam esse;  
 volumus ut quilibet ordinandus titulo  
 beneficii æquè ac patrimonii, præstet  
 coram nostro in Pontificalibus Vicario  
 juramentum hoc.

Ego N. juro, quod titulum, quem pro  
 futura mea promotione ad sacros Ordines  
 exhibeo, verè ac pacificè absque ulla fraude  
 seu lite possideam, quodque illum non resi-  
 gnabo, vel alienabo, nisi mihi de alio suffi-  
 cienti titulo sit prospectum: neque tunc qui-  
 dem aliter, quàm cum scitu & consensu  
 Summi Pontificis Romani, vel Reveren-  
 dissimi

(a) Conc. Trid. sess. 21. de reform. c. 3.  
 & sess. 23. de reform. c. 16.



*disimi mei Archiepiscopi ac Principis Electoris Coloniensis, in literis ipsius resignationis, aut alienationis specialiter exprimendo: item quod titulum illum, qui in locum prioris tituli successerit, absque simili consensu non resignabo vel alienabo. Ita me Deus adjuvet, & hac Sancta Dei Evangelia.*

*Monitio ad initiandos ordine Diaconatus.*

XXII. Ad Ordinem Diaconatus promovendi, diligenter secum perpendant ad quantum gradum Ecclesie ascendant, nam ut olim Levitæ arcam fœderis, ita nunc ipsi Ecclesiam Dei portare & munire debent, ornatu Sancto, prædicatu divino, exemplo perfecto, ut verè testentur se esse Levitas, hoc est assumptos à carnalibus desideriis, & à terrenis concupiscentiis, quæ militant adversus animam, ut hæreditas & tribus amabilis Domini esse mereantur, & tanquam  
mini



Ministri & Cooperatores Corporis & Sanguinis Domini sint ab omni illecebrâ carnis alieni, & quibus Evangelium ore annunciant, vivis operibus exponant, habeantque pedes suos calceatos Sanctorum exemplis, in preparationem Evangelii pacis. *Pontificale Rom. tit. de Ordinatione Diaconi.*

*Monitio ad initiandos Presbyteratus Ordine.*

XXIII. Qui verò ad Sacrum Presbyteratus Ordinem se præsentare intendunt, meminerint, quod cum magno timore ad tantum gradum ascendendum est, atque providendum, ut cœlestis sapientia, probi mores, & diuturna justitiæ observatio ad id electos commendent, & Advocati in adjutorium Episcoporum cognoscant quod agunt, imitentur quod tractant, quatenus mortis Dominicæ mysterium celebrantes, mortificare membra sua à vitiis & concupis-



cupiscentiis suis omnibus procurent: sitque doctrina eorum spiritualis medicina populo Dei, sit odor vitæ delectamentum Ecclesiæ Christi, ut prædicatione atq; exemplo ædificent domum, id est, familiam Dei, eluceat in eis totius forma justitiæ, ut bonam rationem dispensationis sibi creditæ reddituri, æternæ beatitudinis præmia consequantur. Pontificale Rom. tit. de Ordinatione Presbyteri.

*Testimoniales requisita ab iis qui in Collegiata sunt beneficiati, vel in Gymnasio degunt: Item à Religiosis quibuscunque.*

XXIV. Insuper quilibet majoribus insigniendus Ordinibus, si sit sæcularis, & in Ecclesia Collegiata eive subjecta resideat, à Decano illius Capituli, vel eo absente, ab ipsomet Capitulo; si in Collegio, vel Gymnasio aliquo degat, ab illius Præside seu Regente, alias à proprio



proprio Parocho adferat testimoniales literas laudabilis vitæ antea actæ, doctrinæ, & exercitii in ordinibus susceptis, etiam vestium collaribus sub amictu tectis, piè & ritè facti; horarum Canonicarum recitatarum, gestationis habitus atque tonsuræ clericalis; quibus addi quoque volumus, quod nulla censura, nulla irregularitate, nulloque alio Canonico impedimento sit irretitus: Religiosus etiam Ordinum mendicantium à suo superiore simile testimonium in scriptis exhibeat; & testimonium huiusmodi non habens, ne quidem ad examen admittatur. (a)

(a) *Conc. Trid. sess. 23. de reform. c. 12. 13. & 14. Concil. Provinc. Colon. sub Her-  
manno V. part. I. c. 19. 22. 23. & 25. & sub  
Adolpho III. tit. De altero medio c. 5. pag. 432  
col. 2.*

Regu-



*Regulares exhibeant sui superioris testimoniales de professione emissa, eamque jurent spontè factam esse aut ratam.*

XXV. Quemadmodum Clericus secularis, quamvis aliàs sit idoneus moribus, scientiâ, & ætate, ad sacros Ordines promovendus non est, nisi prius legitimè docuerit (a) provisum sibi esse de sufficienti titulo beneficiati, vel patrimoniali; & insuper juraverit quod titulum illum, quem pro futurâ suâ promotione exhibet, verè & pacificè absque ulla fraude seu lite possideat: & antè nolit dimittere, quam ei de alio sufficienti beneficiati Canonice fuerit provisum. Ita quoque Clericus Regularis testimonio sui superioris antè docere debet, se Religionis, cui adscriptus est, professionem emisisse, & præterea jurejurando affirmare se eam spontè fecisse, aut ratam habuisse; illudque in Registro Ordinatorum disertè exprimatur.

(a) cap.



(a) *c. cum secundum, c. tuis, de præbend. Concil. Trid. sess. 21. de reform. cap. 2. Statuta VValrami Archiepiscop. Coloniens. cap. 20. pag. 129. Concil. Provinc. Colon. sub Hermanno V. p. 1. cap. 30. pag. 347.*

*Ordinandi quando, & ubi comparere debeant ad examen: & quales ad examen non admit-  
tendi.*

XXVI. Quotquot aspirant ad primam tonsuram, vel ad Ordines minores seu majores, se cum requisitis documentis fistant Feria secunda, vel tertia post prandium, sive manè Feriâ quartâ vel quintâ ante ipsam ordinationem, & nomina sua inscribi procurent in domo Vicarii nostri in Pontificalibus Generalis, ut præhabitâ ab eo in scriptis licentiâ, deinde juxta præscriptum Concilii tam Generalis Tridentini, quam Provincialis ac Synodalis Coloniensis, horâ & loco ad id constitutis, examinentur.



nentur. (a) Ad examen verò nulli pateat adit<sup>9</sup>, qui non honesto fuerit indutus habitu, & conveniente pro Ordinis sui ratione tonsurâ insignitus Clericali.

(a) Conc. Trid. sess. 23. de reform. c. 7. & 12. in fin. Concil. Provinc. Colon. sub Hermanno V. p. I. cap. 22. 24. & 25. & sub Adolpgo III. Archiep. Colon. Medio 2. cap. mandamus ut, &c. pag. 432.

*Ordinandorum examini Vicarius in Pontificalibus Generalis interesse debet, & præesse.*

XXVII. Quoniam Apostolo præcipiente manus citò nemini imponenda est, (a) & ab ordinandorum examine prorsus pendet electio; cordi debent esse vel maximè Vicario Nostro Coloniensi in Pontificalibus Generali, tanquam huic muneri in partem sollicitudinis Nostræ Archiepiscopalis potissimum delegato, ea, quæ ad examen hoc ritè instituendum, & ad principia sua

revo-



revocandum in Conciliis Provincialibus ac Synodalibus sub decessoribus nostris Hermanno 5. Adolpho 3. & aliis Archiepiscopis Coloniensibus (b) laudabiliter sancita sunt & decreta. Et quamvis Concilia hæc permittant, ut idem noster Vicarius adjuutores & socios in hoc examinationis munere habeat, volunt tamen omninò, ut primas sollicitudinis partes teneat, nec quæ ipsi ante omnia agenda erunt, aliis penitus ita committat, ut interim ipse omnium incertus, si indignos temerè sacro Ordine initiaverit, fiat particeps alienorum peccatorum, & offendicula quæ consequentur, ipsi adscribantur. Quare inherentes Decretis tam dicti Generalis Tridentini, quam Provincialium ac Synodalium Coloniensium Conciliorum, volumus omnino & serio mandamus, ut ordinandorum examini generalis noster in Pontificalibus Vicarius, cum cæteris Examinatoribus deputatis non tantùm intersit (quandocunque per alias suas occupa-



occupationes graviores commodè potuerit) sed & eidem Examine vice & auctoritate nostra præsit; ac quæ ex antiquis & novis Patrum sanctionibus, de qualitatibus Ordinandorum in Oecumenio Tridentino atque Provincialibus & Synodalibus Coloniensibus Conciliis (b) præscripta sunt, studiosè magnaque cum diligentia, in usum & comitandinem dediscat, & non frustra, sicut ante hæc (perinde ac si ista cura ad eum non pertineret) hæc præscripta & toties repetita esse patiatur.

(a) 1. *Timoth. 5. 22. cap. nullus, cap. quando dist. 24. Conc. Trid. sess. 23. de reform. cap. 7. II. & 12.* (b) *Conc. Provinc. Colon. sub Hermanno V. p. 1. cap. 16. 17. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 26. 29. & 30. & sub Adolpho III. Medio 2. cap. deinde visum, &c. c. quoniam vero, &c. cap. quonon oportet, c. mandamus, pag. 431. & 432. Synodus Colon. Anno 1612. secunda Octobris celebrata, tit. 3.*



XXVIII. Quilibet autem Examinatorum, antequam recipiatur, præstabit coram nostro in Pontificalibus Vicario, sequens fidelitatis Juramentum,

Juramentum ab Examinatoribus præstandum.

Ego N. ad munus Examinis Ordinandorum assumptus, juro ac promitto obedientiam, reverentiam & honorem Summo Pontifici Romano, ac Reverendissimo Domino N. Archiepiscopo & Principi Electori Coloniensi, eorundemque successoribus. Item juro & promitto me in eo munere, omni humana affectione deposita fore fidelem, ac diligenter invigilaturum, ne quispiam indoctus, inidoneus, aliisque qui magis destructurus, quàm edificaturus esset Domum Dei ad ullum Sacrum Ordinem suscipiendum à me approbetur, sciens quod non solum coram ipso Summo Pontifice, ac Reverendissimo Domino Archiepiscopo, sed coram Deo præcipue & Pastore Pastorum Christo,  
ejus



ejus rationem reddere teneat, si in admiffio-  
ne talium laxior fuero. Sic me Deus adju-  
vet, & haec Sancta Dei Evangelia.

Nullus porro examinatorum valeat  
fui loco alium fubftituere, nifi cum no-  
ftro, noftrive in Pontificalibus Vicarii  
Generalis praefcitu & confenfu, atque  
praemiffio per fubftitutum fimili jura-  
mento.

Ordinibus Sacris infigniendus Examen fub-  
eat, an propositum ejus fit pium, fandum  
ac firmum; & quantum poffit in horariis  
precibus recitandis.

XXIX. Qui fe examini fubjiciet, ut  
Sacris Ordinibus initietur, ante omnia  
interrogetur, (a) quo affectu ductus,  
Ordinem Ecclefiafticum petat, an ejus  
propositum pium fit, fandum ac fir-  
mum; & quantum poffit in horariis pre-  
cibus recitandis: ordinatus vero fciat fe,  
fecundum Canonicas fationes, ad

C

iftas



istas preces quotidie persolvendas sub  
pœna peccati mortalis, & si beneficia-  
tus est, restitutionis insuper fructuum  
pro rata temporis, quo Officium non  
implevit, obligatum; ideoque unus-  
quisque huic obligationi studiosè satisfi-  
faciat.

(a) *Concil. Provinc. Colon. sub Herman-  
no V. part. I. c. 21. & 22. ac sub Adolpho III.  
Archiep. Colon. de altero Medio. cap. deinde  
visum, &c. pag. 431.*

*Examinetur etiam in cantu Choralis.*

XXX. In cantu Ecclesiastico addif-  
cendo hactenus magna ordinandorum  
negligentia animadversa fuit, non sine  
graviscandalo populi, ut aut muti sint  
multi in Choro Clerici cantus Eccle-  
siastici imperiti, aut in voce inconcinna  
& absona mutis deteriores sæpè repe-  
riantur: quare seriò mandamus omni-  
bus ad Sacros Ordines aspirantibus, ut  
Cantum Gregorianum seu Choralem.

ex



ex principiis, usu, atque exercitatione addiscant. Cujus etiam in examine post-hac rationem accuratam haberi volumus.

*Clericali tonsurâ insigniendi, quo tempore, loco & habitu comparere debeant.*

XXXI. Ad primam tonsuram, aut etiam minorum Ordinum aliquem admissi feriâ sextâ matutinâ, horâ octavâ in Ecclesia nostra Metropolitana adsint Clericali vestitu induti, capillitio abscisso, seu decenter composito, (a) & superpelliceum atque cereum singuli in promptu habentes; qui ubi Clericalem tonsuram, vel aliquem Ordinum minorum susceperint, sicut & singuli majoribus Ordinibus initiati, (b) in vertice capitis coronam sibi radi curêt pro uniuscujusque ordinis, gradus ac status qualitate latam, eamque conspicuam perpetuò deinde gerant; ac secun-



dâ vel tertiâ qualibet hebdomada, atq; præcipuis anni festivitibus faciant renovari; ut hoc antiquissimo Ecclesiæ ritu significant, se superflua omnia, curaque omnes seculares ac terrenas sollicitudines abjecisse, & ea, quæ sursum sunt, quærere & sapere. Nec propter hæreticorum derisionem, aut vulgi iudicium quemquam pudeat hoc Symbolo Ducem & Imperatorem suum profiteri, cui per arma justitiæ à dextris, & à sinistris, per gloriam & ignobilitatem; per infamiam & bonam famam, debet militare: (c) Maxime cum Concilium (d) tam Oecumenicum Tridentinum, quàm Provincialia & Synodalia Coloniensia declarent, nullum primâ tonsura initiatum aut etiam in Ordinibus constitutum, fori privilegio gaudere, nisi tonsuram & habitum Clericalem gestet.

(a) cap. non liceat, ult. dist. 23. (b) Catechism. Rom. part. 2. c. 7. numer. 13. & 14. (c) 2. Cor. 6. 7. (d) Conc. Trident. sess. 23. de reform. c. 6. Synod. Colon. sub Sifrido Archiepisc.



chiepiscopo, cap. 9. §. item denunciamus,  
pag. 44. sub Henrico Archiepiscopo, cap. 2.  
pag. 86. sub VValramo Archiep. c. 4. pag. III.  
& c. 18. p. 124. & c. 20. pag. 129. sub VWil-  
helmo Archiep. cap. 5. pag. 157. sub Friderico  
Archiep. c. 5. p. 189.

*Tonsurâ quali Clericis, quali Subdiaconis,  
Sacerdotibus, Prælati utendum.*

XXXII. Ut constet quam latam  
quisque pro ratione Ordinis, gradus, ac  
status sui debeat gestare coronam: Sa-  
cerdotis corona amplitudine suâ hostiæ  
magnæ, quæ ad Missæ Sacrificium fer-  
vit, par sit; Clerici vero atque item mi-  
noribus Ordinibus initiati ad parvula  
hostiæ, quæ laicis communicantibus ex-  
hiberi solet, quantitatem æquet; Dia-  
coni autem paulò minor sit Sacerdota-  
li, & sicut Subdiaconi paulò major  
Clericali, ita Pastoris vel curam anima-  
rum habentis Sacerdotali, & Prælati  
Pastorali paulò major sit.



Ad majores Ordines suscipiendos admissi, quo die, hora, loco, & habitu comparere debeant; & coram quo fidei Professionem facere.

XXXIII. Omnes admissi ad Ordines Sacros suscipiendos, Sabbato generalis ordinationis die; simul ad medium horæ octavæ matutinæ, in Metropolitana nostra vel alia pro dictis Ordinibus conferendis designata Ecclesia adsint, (a) honestâ induti veste talari, nec non coronâ justæ ac decentis pro ordine atque gradu suo magnitudinis insigniti, & coram Vicario nostro in Pontificalibus Generali, vel alio per ipsum ad id deputato, Catholicæ fidei professionem, juxta formulam à fel. rec. Pio Papa IV. præscriptam palàm emittant, sub poenâ rejectionis pro illa vice à susceptione ordinis.

(a) *c. non liceat ult. dist. 23. Catechism. Rom. part. 2. c. 7. num. 13. & 14.*

Qualia,



*Qualia, & cujus coloris paramenta Ordinandi adferre debeant.*

XXXIV. Parata quoque habeant paramenta Ecclesiastica suscipiendi ordini Sacro & colori Sacrificii Missæ illius diei convenientia, atque cereum: & cum à Scriba seu Notario Episcopi Ordinatoris fuerint nominati, respondeant, *adsum*, (a) facta que eidem Episcopo debita reverentia, accedant ad locum ordinationis, secundum descriptionis ordinem.

(a) Pontificale Rom. tit. de ord. confer. pag. 7. §. Ordinandi, &c.

*Majoribus Ordinibus initiandi se præparent ad Sacram Communionem Sabbato Ordinationis die sumendam.*

XXXV. Singuli majoribus Ordinibus initiandi sese præparent, præviâ Sacramentali Confessione, (a) ad Sacram



Communionem eodem Sabbato Ordinationis reverenter ac devotè sumendam, hoc modò; videlicet, postquam Episcopus Ordinator se communicaverit, accedent ad Altare (b) Presbyteri, deinde Diaconi, postremo Subdiaconi; quibus ordinatim genu flectentibus, & Episcopo ad eos converso, singuli Diaconi, & Subdiaconi tantum dicent, submissa voce, *Confiteor Deo omnipotenti, &c.* vel unus illorum cantabit *Confiteor, &c.* deinde data per Episcopum absolute & benedictione, ordinati ad supremum gradum Altaris accedent, & quilibet eisdem genu flexus, priusquam Sanctissimam Communionem sumat, manum Episcopi Sacram Hostiam tenentem osculabitur, Sacraque Communionem sumpta, respondebit, *Amen*: tum surgens, purificatione à Ministro apud cornu Epistolæ Altaris stante acceptâ, ad partem se locabit.

(a) *Statuta Sifridi Archiep. Colon. c. 9. pag. 44: Conc. Provinc. Coloniens. sub Hermann*



manno V. p. 1. cap. 26. pag. 346. (b) Pontificale Rom. tit. de ordin. Presb. pag. 51. & 52.

*Singuli Sacro Presbyteratus Ordine initiandi adferant mappulam mundam, ac Missale Romanum.*

XXXVI. Sacro Presbyteratus ordine insigniendi mappulam quoque albam & honestam pro manibus inunctis colligandis secum adferant; (a) atque singuli Missale Romanum; vel saltem novum Coloniense instar Romani correctum, ut Episcopo Ordinatore celebranti concelebrare possint, & omnia dicere, præsertim verba Consecrationis, quæ dici debent eo momento per Ordinatos Sacerdotes, quo dicuntur per Episcopum Ordinatorem.

(a) Pontif. Roman. tit. de ordin. Presb. pag. 40.



Ordinati Sacerdotes intra 40. dies primitias celebrare tenentur, sed prius literas suscepti Sacerdotii exhibere.

XXXVII. Ordinati Sacerdotes, intra quadraginta dies ab Ordinatione, juxta antiquam consuetudinem, primitias suas celebrent; sed ne quisquam fortè à susceptione Ordinis Sacerdotalis rejectus, ad evitandam apud suos confusionem, Ministerium Sacerdotale, quod non accepit, sacrilegâ temeritate usurpare attentet: mandamus ut nemini primitias celebrare permittatur, antequam superiori Ecclesiastico, seculari vel Regulari ejus loci, ubi primitias celebrare intendit, litteras suscepti Sacerdotii exhibuerit. (a)

(a) Statuta Sifridi Archiep. Colon. c. 9. pag. 44. Henrici Archiep. Col. c. 9. pag. 102. Philippi Archiepisc. Colon. pag. 283. Adolphi III. Archiep. Colon. pag. 462.



Ritus in Missâ servandi sint ubi-  
vis uniformes.

XXXVIII. (a) Sicut una est Chri-  
sti Ecclesia, sic omnia Ecclesiæ membra  
uniformia esse, & unitatem semper ob-  
servare necessum est, maximè autem in  
Sanctissimo Corporis & Sanguinis  
Christi mysterio; unde ad præcaven-  
dam omnem difformitatem, atque cæ-  
remoniarum ac rituum in Sacræ Missæ  
officio confusionem, Episcopus (b) Sa-  
cerdotes omnes à se recenter ordinatos  
admonet, ut diligenter totius Missæ or-  
dinem ac Sacræ Hostiæ consecratio-  
nem, fractionem & Communionem  
ab aliis jam doctis Sacerdotibus dis-  
cant, priusquam ad celebrandam Mis-  
sam accedant. Quia tamen experientia  
eognovimus, sæpè eos delegi Sacerdo-  
tes, qui magis egerent doceri, quam do-  
cere, cum ipsimet in cæremoniis ac  
ritibus, præsertim Romanæ Ecclesiæ pa-  
rum sint exercitati, & cum in antiquis



Missalibus Ecclesie Coloniensis nulli  
 præscribantur. certi ritus aut cæremonia,  
 nec ulli extent hujus Diœcesis aut  
 Provinciæ rituales libri, qui, quibusnam  
 cæremoniis aut ritibus Sacra illa ac tre-  
 menda actio peragenda sit, præscribant,  
 tantam videmus cæremoniarum ac ri-  
 tuum in hanc Sacratissimam actionem  
 tractu temporis irreplisse ignorantiam,  
 neglectum, & confusionem, ut (quod  
 omnes graviter offendit) quot sunt Ec-  
 clesiarum Ministri, tot penè videre sit in  
 ritibus atque cæremoniis Sacrificii Mis-  
 sæ diversitates, ut mirum non sit statum  
 Diœcesis, ac Provinciæ hujus vehemen-  
 ter perturbatum esse. Nam quod com-  
 muni Ecclesie oratione suppliciter à  
 Deo petitur: (c) *Sic nos tu visita, sicut te co-*  
*lim?*: hoc ille facit, & ut nō in irā ac furo-  
 re suo faciat; sed in misericordia sua ma-  
 gna, ac miserationibus multis: ut virga  
 correctionis suæ prudentiores nos fa-  
 ciat; tempus est, ut singuli cum omni  
 humilitate & contritione cordis disci-  
 plinam



plinam Domini suscipiant, totaque voluntate omnem correctionis ac castigationis causam auferant. Quod ut nos pro Archiepiscopali nostro munere & auctoritate præstaremus, Missale Coloniense ad dispositionem S. Romanæ Ecclesiæ accommodatum excudi, eidemq; plenissimam instructionem generalibus & specialibus rubricis complexam de ceremoniis & ritibus uniformiter, in Ecclesiis nobis subiectis, servandis præfigi fecimus, cujus piè intenti operis fructu ne Ecclesia nostra fraudaretur, in Synodo (d) nostra Coloniensi ultima mandavimus omnibus in virtute S. Obedientiæ, ut a motis quibusvis aliis sive jam antiquatis, sive peregrinis, vel privatis, & omnibus singularum Ecclesiarum propriis Missalibus, deinceps novo Missali uterentur, voluimusq; ut in omnibus Ecclesiis Collegiatis & Parochialibus, aliisque ubi plures sunt Clerici, unus constitueretur, qui caeremoniarum ac rituum curam in se reciperet,



novellos Sacerdotes in cæremoniis instruere, & ut omnia suo ordine, loco ac tempore fierent, observaret, is etiam superiores singularum Ecclesiarum Decanos, Pastores, Priores, Rectores, aliove quovis nomine vocatos, de difformitatibus quibusvis certiores reddere teneretur, ut eorum auctoritate, quod commodè interdum Cæremoniarii introducere aut corrigere non possent, introduceretur, vel corrigeretur. Sed cū hactenus salubre illud decretum minus rectè observatum sit, & sciamus difficillimum esse ab iis, quibus primum quis assuevit, sese revocare. Idcirco Archiepiscopali nostrâ auctoritate iterum in virtute S. Obedientiæ severè prohibemus, ne quisquam deinceps Sacerdos sæcularis primitias celebrare præsumat, nisi prius generales ac speciales rubricas & ritum celebrandi Missam tam privatam quam solemnem secundum præscriptum Missalis prædicti diligenter perlegerit, & in sacris Missæ ritibus optimè fuerit erudi-



ritus, atque ab aliquo cæremoniarum & rituum Ecclesiæ Romanæ perito Sacerdote easdem cæremonias & ritus se perfectè didicisse Capitulo vel Decano, aut Pastori, cui subest, testimonio instructoris sui debitè probaverit, sub pœnâ arbitrariâ : item nec ullus Civitatis vel Archidiœcesis nostræ Coloniensis Sacerdos privatis affectibus ductus, aliis cæremoniis ac ritibus in celebratione Missæ utatur, nec plures faciat cruces aut benedictiones, quam in Missali præfato præscribuntur, sed omnes juxta antedicti Missalis normam, vestium collaribus sub amictu seu humerali circumtectis, tremendum illud Missæ Sacrificium reverenter, piè & devotè peragant, obedienter ac religiosè in omnibus Sacrosanctæ Missæ ritibus atque cæremoniis sequendo Sanctam (e) Romanam Ecclesiam, cæterarum Ecclesiarum omnium matrem & magistram, indeque resumant normam sacrificandi, unde sumpserunt exordium.

(a) D.



(a) D. Cyprianus, tom. 2. c. 3. de unitat. Eccles. Catholicae. (b) Pontif. Rom. tit. de ordin. Presb. in fin. (c) In Hymn. ad Matut. offic. Corporis Christi, vers. fin. (d) Synod. Colon. habita 19. Aprilis 1627. titul. 5. pag. 14. (e) c. 1. c. 2. dist. 12. c. nolite errare, c. quis nesciat, dist. 11. Statuta Henrici Archiep. Colon. c. 3. in fin. pag. 61.

*Uniformitas Sacrorum rituum & caeremoniarum in omnibus Officiis Ecclesiasticis adhibenda.*

XXXIX. Ut hæc uniformitas Sacrorum rituum & caeremoniarum usus Romani magnoperè commendans Catholicæ Religionis dignitatem & unitatem, in quibuscunque etiam reliquis officiis Ecclesiasticis, prout decet, adhibeatur, vehementer exoptamus ab omnibus & singulis, quos concernit, observari caeremoniale Episcoporum, omnibus Ecclesiis, præcipuè autem Metropolitanis, Cathedralibus & Collegiatis perutile  
acc



ac necessarium; quodque magno labore & industriâ emendatum ac reformatum fel. rec. Clemens VIII. hujusce nominis Papa in universali Ecclesiâ perpetuò servari districtè mandavit. (a)

(a) fel. rec. Clement. Papæ 8. Constit. 68. Bull. tom. 3.

1. Interest ad Catholicæ Religionis dignitatem & unitatem servandam, uniformitatem caeremoniarum in Sacramentorum ministracione adhiberi.

2. Pastorale seu Rituale Romanum commendatur.

XL. Multum etiam interest ad Catholicæ Ecclesiæ unitatem servandam, promovendamque Christi fidelium pietatem, & adversariorum confusionem, caeremonias & ritus Ecclesiasticos in Sacramentorum ministracione eosdem ubique adhiberi; ideoque Ecclesiæ Romanæ cæterarum Capiti atque Principi reliquas conformari. Quare operam dare

dare



dare debent Parochi, & alii Ecclesiæ Ministri, ut ea, quæ ex antiquis Catholica Ecclesiæ institutis, sacrorumque Canonum & Summorum Pontificum decretis, de Sacramentorum ritibus atque cæremoniis Rituali Romano vel Agenda, ut vocant, Coloniensi præscribuntur, calleant, quâ par est diligentia ac religione ubique fideliter observent, & cum decore ac populi ædificatione exerceant, juxta præceptum Apostoli, *omnia honestè, & secundum ordinem fiant*: (a) Id autem vel eò magis inculcamus, cum Sacro-Sancta & Oecumenica Tridentina Synodus decreverit. (b) Quod si quis dixerit, receptos & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus, in solemnibus Sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato à ministris pro libitu omitti, aut in novos alios per quemcunque Ecclesiarum Pastorem mutari posse; anathema sit.

Nemo

(a) 1. Corinth. 14. 40. (b) Concil. Trid. sess. 7. de Sacram. in genere, can. 13.



Nemo ad Parochialem Ecclesiam, aliudve beneficium curatum promoveatur, admittatur vel instituatur; nisi praxio examine Ordinarii Diocesani, approbatione ab eo inscriptis obtentâ, & fidei professione factâ.

XLI. Porrò ex promotione idoneorum & indignorum (a) ad Ecclesiastica beneficia, præsertim curam animarum annexam habentia, plurimùm mali ac scandali provenire, res ipsa loquitur. Quapropter ut Parochiales Ecclesiæ conferantur dignis & idoneis, qui in loco residere, & per se ipsos curam animarum exercere valeant, quantam diligentiam adhiberi oporteat, tum Sacro - Sancti & Oecumenici Concilii Tridentini, (b) tum sanctæ mem. Pii V. diversorumque aliorum Summorum Pontificum editæ Constitutiones satis superq; testantur; quibus nos inhærendo, severè præhibemus, ne à quibusvis perso-



personis, etiam cuiusvis dignitatis Ecclesiasticæ, vel sæcularis, ulla Parochialis Ecclesia, seu aliud qualecunque Ecclesiasticum beneficium curatum Civitatis vel Diœcesis nostræ Coloniensis, cuiquam sive sæculari sive Regulari, etiam qualitercunque exempto, conferatur; neque ei animarum cura ullatenus committatur; nec quisquam ad quamcunque Ecclesiam Parochialem, aliudve Ecclesiasticum beneficium curatum cuiuscunque juris patronatus sive Ecclesiastici sive laici, etiam quibusvis Capitulis, Collegiis, Monasteriis, Ordinibus, ac Militibus, etiam S. Joannis Hierosolymitani, aliisque Ecclesiis & piis Locis, etiam quomodocunque exemptis unitum, annexum & incorporatum præsentetur, seu eligatur, vel nominetur; & de quavis Ecclesia Parochiali seu Ecclesiastico beneficio curato prov. sus, vel ad id præsentatus, seu electus, vel nominatus non instituatur, nec confirmetur, neque admittatur, etiam prætex-

tu



tu cujusvis privilegii, seu consuetudinis,  
etiam ab immemorabili tempore præ-  
scriptæ, nisi fuerit prius juxta dicti Con-  
cili Tridentini, (c) & Pii V. Constitutio-  
nes, Archiepiscopali nostrâ auctoritate  
ordinariâ examinatus & idoneus reper-  
tus; atque à nobis, nostrove in spiritua-  
libus Vicario Generali approbationem  
in scriptis obtinuerit, cum omnes ac sin-  
gulas collationes, provisiones & insti-  
tutiones aliter factas, aut faciendas,  
idem Pius Pontifex decernat ac decla-  
ret nullas, irritas, ac nullius roboris vel  
momenti esse & fore; nullumque pro-  
visis & institutis jus aut titulum etiam  
coloratum possidendi præbere; sed Pa-  
rochiales Ecclesias hujusmodi, ut prius,  
ante collationes vel institutiones, vaca-  
re. Insuper mandamus, ut quilibet de  
beneficio quocunque curam anima-  
rum habente provisus, Orthodoxæ suæ  
fidei publicam faciat professionem,  
cùm declaret idem Concilium Triden-  
tinum, quod alioquin non faciat fru-  
ctus

ctus



ctus suos , nec illi possessio suffrage-  
tur (d)

(a) *cap. inter dilectos, de excess. Pralat.*

(b) *Conc. Trid. sess. 7. de reform. c. 13. sess. 14. de reform. c. 12. & 13. sess. 24. de reform. c. 1. & 18. sess. 25. de reform. c. 9.*

(c) *Pii Pa-  
pæ V. Constit. 33. Bullar. tom. 2. Concil. Pro-*

*vinc. Colon sub Adolpho III. Archiepisc. cap. deinde visum, &c. pag. 431. c. cum bonorum,*

*&c. pag. 433. c. de secularibus, &c. pag. 434.*

(d) *Conc. Trid. sess. 24. de reform. c. 12.*

*Pastoralem jurisdictionem usurpans sine  
ordinariâ approbatione Archie-  
piscopali quam pœnam in-  
currat.*

XLII. Cum itaque Archiepiscopa-  
lis nostra examinatio, & approbatio nec  
non institutio Canonica janua sit, per  
quam fit ingressus in Ecclesiarum Paro-  
chialium administrationem, sine qua  
etiam nulla Pastoralis in populum ha-  
beri potest jurisdictio, nulla que ligandi

ac



ac solvendi auctoritas exerceri ; seriò præcipimus, ut Archipresbyteri seu Decani Rurales, cum sint Párochorum sui districtus Pastores, summâ curâ & sollicitudine advigilent, ne quis aut sæcularis, aut Regularis, etiam qualitercunque à jurisdictione nostrâ Ordinariâ exemptus, beneficium quodcunque Pastorale, vel exercitium curæ animarum civitatis vel Diœcesis nostræ Coloniensis, quocunq; titulo vel prætextu, invadat, absque prævio examine, & approbatione nostrâ Archiepiscopali, & Canonica institutione Archidiaconali. Aliter autem immissi à Pastoralis officio & fructibus se noverint ipso jure esse suspensos; & si quos nomine Pastoralis curæ acceperint fructus, fabricæ Ecclesiæ, à qua provenerunt, restituendos, atque ad eorum veram & realem restitutionem à suis Archipresbyteris seu Decanis Ruralibus esse compellendos, declaramus.

*Pasto-*



XLIII. Pastores verò, quibus animarum cura legitime commissa est, domui suæ sint benè præpositi, ita ut non tantum ipsi, sed & eorum familiæ irreprehensibilem vitam agant: *Qui enim domui suæ præesse nescit, quomodo Ecclesiæ Dei diligentiam habebit.* (a) Insuper sciant præcepto divino (b) sibi mandatum esse, ut oves suas agnoscant, pro his Sacrificium offerant, verbiq̃ue divini prædicatione, Sacramentorum administratione, ac bonorum omnium operum exemplo pascant, & pro earum salute, quando cunque opus est, animam suam ponant, pauperum præsertim infirmorum, sæpè eos visitando, ac temporali & spiritali solatio eosdem sublevando, curam paternam gerant, rudes in fide, & maximè juventutem, ut Ecclesiæ seminarium Catechizent, piorum legatorum diligentem rationem habeant, & seriis monitionibus satagant, ut ante finem



nem anni piis testatorum voluntatibus  
satisfiat, & in cætera Pastoralia munera  
omnia, onus Angelicis humeris formi-  
dandum, diligentissimè incumbant.  
Quis enim nescit, quanti una anima sit  
pretii, quarum tot millia Sacerdotum  
Curatorum incuriâ pereunt.

(a) 1. Timoth. 3. 5. (b) Conc. Trid. sess. 5.  
de reform. c. 2. & sess. 23. de reform. c. 1.

*Pastores jure divino ovibus suis assiduè ad-  
esse tenentur, etiam periculi & pestis  
tempore, nec ad mensem à Parochiâ  
suâ abesse possunt sine licentia Archie-  
piscopali.*

XLIV. Ad præstanda & implenda  
hæc Pastoralis officii debita, ad assiduâ  
apud oves suas residentiam se jure divi-  
no obligatos esse intelligant Pastores  
omnes, nec posse oves suas metu peri-  
culi, vel pestis tempore, deserere, vel  
sub prætextu aliorum negociorum, sine  
licentia nostra, nostrive Vicarii in spiri-  
D tuali-



qualibus Generalis, ac nisi alteri Archie-  
 piscopali nostra auctoritate approbato  
 Vicario curâ commissa ad unum men-  
 sem abesse; idque sub gravibus pœnis à  
 Concilio Tridentino (a) præscriptis.  
 Quod in hac luctuosa grassantium here-  
 sum tempestate, & falsorum Propheta-  
 rum, seductorum, hæreticorumque li-  
 centiosa multitudine, tanquam vigiles  
 Pastorum inspectores, eò diligentius  
 curare tenentur Decani Rurales; quia  
 sicut spirituales, & ut est apud Prophe-  
 tam *Vespertini*, (b) lupi, latrones, fures,  
 nunquam facilius, quàm absente Cu-  
 stode; ita nusquam securius quàm ruri,  
 ubi inspectionem suam habent ipsi De-  
 cani, Dominicum gregem invadere  
 possunt: quem ut ab insidiis luporum,  
 amor & vigilantia Pastoris debet custo-  
 dire; ita Decani nunquam ab intentio-  
 ne sollicitudinis suæ quiescentes, dor-  
 mientem aut negligentem Pastorem,  
 ceu speculatores in prospectu explora-  
 tionis locari, contra advenientes la-  
 trones,



trones, & obrepentes fures debent excitare.

(a) Conc. Trident. locis supra citatis.

(b) Habac. 1.8.

1. Pastores intra limites suæ Parochiæ, & in Pastoralis, vel aliâ domo Ecclesiæ proximâ habitent.
2. Idem quoque faciant Custodes.

XLV. Ea propter quotquot habent animarum curam, non solum intra limites suæ Parochiæ, verum etiam, quantum commodè fieri poterit, propè Ecclesiam in domo Pastoralis personaliter resideant. Quod si talis domus Pastoralis non extet, conducant honestam aliquam domum, Ecclesiæ Parochiali, quantum fieri potest, proximam: & interim agant cum suis Parochianis de modo & ratione alicujus domus Pastoralis ædificandæ. Si verò familiam non alant, habitationem eligant non procul ab Ecclesia, nullo tamen modo in diver-



torio, aut in domo malæ famæ. Custodes autem idem faciant, quo Parocho & Parochianis opportunius adesse possint. (a)

(a) *cap. necessaria, 12. q. 1.*

*Iuramentum ab animarum Curatoribus præstandum.*

XLVI.. Quò autem præmissa exactius observentur, (a) statutis tam antecessorum nostrorum Archiepiscoporum Coloniensium, quàm declarationibus Sacræ Congregationis Cardinalium Concilii Tridentini interpretum insistentes; volumus, ut quilibet Parochialem Ecclesiam, seu quodcunque aliud Ecclesiasticum beneficium curatum adeptus, antequam cura animarum, vel possessio ipsius Ecclesiæ seu beneficii ei detur, ultra professionem fidei, præstet etiam coram Vicario nostro in spiritualibus Generali subsequens iuramentum.

(a) Concilio



(a) Concil. Provinc. & Synod. sub Adolpho III. Archiepisc. Coloniens. cap. secundo quia, &c. pag. 523. & §. primum itaque, col. 2. pag. 537.

Ego N. N. juro & promitto obedientiam, reverentiam, & honorem Summo Pontifici Romano, ac Reverendissimo Domino N. Archiepiscopo ac Principi Electori Coloniensi, eorundemque successoribus. Item juro & promitto, quod Ecclesia mea Parochiali N. secundum oneris eidem annexi exigentiam, diligenter deserviam, & in ea personaliter residebo. Prædictæ meæ Ecclesiæ res, bona, & jura quæcunque inventa fideliter conservabo, nec ea alienabo, malè autem alienata, quantum in me erit, diligenter recuperare studebo. Sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia.

Quando aliò se recipere cogentur,  
quid præstare debeant.

XLVII. Si contingeret (prout nuper

D 3

per



per ex causa retorsionum factum est) Pastores gregem suum cogi deserere, & aliò migrare, id non faciant sine nostro vel nostri in spiritualibus Vicarii consensu, & indicato loco, quo scite recipiunt, & non minorem curam habeant: conservandæ supellectilis Ecclesiæ, quàm suæ propriæ.

*Archipresbyterorum seu Decanorum  
ruralium officium.*

XLVIII. Atque ut prædicta pro voto nostro præstentur, Archipresbyteri seu Decani Rurales solliciti sint de Pastorum suorum subditorum salute ac profectu spirituali, diligenter eorum vitæ, moribus, & doctrinæ intendentes, ideoque præter visitationem ordinariam, datâ occasione, sæpiùs Parochias sibi commissas invisant, & in visitationibus suis præcipuè inquirent, an Pastores apud oves suas perpetuò habitent, piè ac laudabiliter vivant, suo, ut decet,



decer, munere fungantur, præsertim  
Dominicis & Festis diebus in celebran-  
no Missæ officio, concionando, cate-  
chizando, Ecclesiastica Sacramenta,  
quacunq; diei ac noctis horâ requiran-  
tur promptè ac devotè ministrando,  
cum debitis ritibus, cæremoniis, oratio-  
nibus ac precibus in Rituali Romano  
seu Pastoralis libro Coloniensi Agenda  
appellato, ad hoc religiosè præscriptis.  
Et si muneri suo desint, ad nos, no-  
strumve in spiritualibus Vicarium abs-  
que morâ deferant, pœna suspensionis  
ab officio, vel alia graviore arbitraria  
pro qualitate culpæ & scandali punien-  
dos.

*Pastorum quoque Vicarii, Capellani &  
adjutores ordinaria auctoritate Archie-  
piscopali approbandi sunt ad curam ani-  
marum.*

XLIX. Cùm non solum Pastoribus,  
sed etiam eorum Vicariis, Capellanis,  
eorumq; adjutorib<sup>9</sup> vel sociis cura ani-

D 4

marum



marum incumbat; proinde & ii de sufficientiâ suâ docere debeant, districtè inhibemus, ne ullus Pastorum Civitatis seu Archidiœcesis nostræ Coloniensis cujuscumque Vicarii, Capellani, adjutoris, vel socii operâ in Pastoralis suâ functione utatur, qui nostrum, aut nostri Vicarii in spiritualibus Generalis testimonium in scriptis non exhibuerit, quo testatum fiat, eum sufficienti examine inventum esse dignum & idoneum, qui in Vicarium, Capellanum, adjutorem vel socium Pastoralis officii tali loco cooptari possit; in quo testimonio etiam locum designari volumus: cum pro diversitate locorum aut personarum, quibus quis præficiendus erit, diversum esse possit, de præficiendi qualitate, judicium. (a)

(a) *Conc. Trid. sess. 21. de reform. cap. 4. Conc. Provinciale Colon. sub Hermanno V. p. 4. c. 6.*

Presby-



Presbyteri omnes etiam Regulares debent  
antea ab Episcopo Diocesano approbari,  
quàm secularium seu Monialium etiam  
ipsis Regularibus subjectarum audiant  
confessiones.

L. Quod non tantum de Pastoribus  
seu Ecclesiarum Parochialium Recto-  
ribus, eorumque Vicariis, Capellanis,  
adjutoribus vel sociis intelligitur, sed &  
de Religiosis quorumcunq; Ordinum,  
Societatum, & Congregationum; cum  
ab (a) Oecumenica Synodo Tridenti-  
na, & à fel. rec. (b) Gregorio XV. Pon-  
tifice Maximo providè cautum sit, nul-  
lum Presbyterum, etiam Regularem,  
posse Confessiones secularium, etiam  
Sacerdotum, audire, nec ad id ido-  
neum reputari, nisi ab Episcopo Diœ-  
cesano per examen, si illi videbitur esse  
necessarium, aut aliàs idoneus judice-  
tur, & approbationem obtineat. Con-  
fessarios porrò sive seculares sive Regu-  
lares, etiam quomodolibet exemptos,

D 5

tam



tam ordinarios, quam extraordinarios, ad confessiones Monialium, etiam ipsis Regularibus subjectarum, audiendas, nullatenus deputari posse; nisi prius ab Episcopo Diocesano specialiter ad hoc idonei iudicati fuerint, & approbati.

(a) Concil. Trid. sess. 23. de reform. c. 15. (b) Fel. rec. Gregorii Papæ XV. Constitutio 18. Bullarii, tom. 4.

*Revocatio omnium indultorum quibusvis Religionibus, Societatibus, & Ordinibus, quomodolibet concessorum audiendi secularium confessiones absque Ordinarii examine, & approbatione.*

LI. Quam rem fel. rec. Urbanus 8. Pontifex Maximus accuratiùs persequens, omnia omnino revocavit & abrogavit privilegia, quibusvis Religionibus, Societatibus, Congregationibus, & Ordinibus à Sede Apostolicâ quomodolibet concessa audiendi. Sacramentales



mentales personarum secularium confessiones absque Ordinariorum Diœcesanorum examine & approbatione; cujus verba, plenioris cognitionis causa, hic libet adscribere.

Fel. rec. Urbani VIII. Constitutio 29. Bullarii, tom. 4.

URBANUS PAPA VIII.  
ad futuram rei memoriam.

**C**um, sicut accepimus, aliquibus Religiosis quorundam Ordinum, seu Congregationum à Sede Apostolicâ indultum fuerit, ut Sacramentales personarum secularium confessiones audire valeant, etiamsi ab Episcopis Diœcesanis ad id examinati, & approbati non fuerint; nec desint, qui temerè asseverent, hoc ipsum privilegium ceteris quoque aliorum ordinum Regularibus competere, ex amplissimis privilegiorum communicationibus, quas ab eadem Sede Apostolicâ obtinuerunt, & hinc

D 6

salu-



saluberrimum Sacri Concilii Tridentini decretum, de super sancitum penitus evertatur; Nos huic malo opportunè providere volentes, de Ven. Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negociis regularium præpositorum consilio, omnia, & singula indulta huiusmodi, audiendi secularium confessiones absque Ordinarii examine, & approbatione, quibusvis Collegiis, Capitulis, Religionibus, Societatibus, etiam Societati JESU, Congregationibus, & Ordinibus, tam Mendicantium, quàm non Mendicantium, necnon Monachorum quorumcunque etiam S. Benedicti, Cisterciensis, & Carthusiensis ac etiam quibusvis Militiis, etiam Hospitalis S. Ioann. Hierosolymitani, ac quibuscunque Ecclesiis etiam Patriarchalibus & Metropolitanis, Monasteriis, cæterisque locis piis, sive eorum & earum respectivè Abbatibus, Præpositis, Decanis, Magistris, Ministris, Prelatis, Prioribus, Rectoribus, etiam Generalibus, vel Provincialibus, Capellanis, Confessariis, aut aliis quocunque nomine nuncupatis Superioribus, & personis quibuscunque etiam quomodolibet



bet exemptis, ac Sedi Apostolica immediate  
 subjectis cujuscunque dignitatis, præeminen-  
 tia, & conditionis existentibus, & quovis pri-  
 vilegio munitis, & tam ad supplicationem  
 partium, quàm motu proprio, & ex certa  
 scientia, ac de Apostolica potestatis plenu-  
 dine hætenus quancuncque & qualitercun-  
 que ex quavis, etiam de necessitate exprimen-  
 da causa, & aliàs quomodolibet concessa,  
 Apostolica auctoritate, tenore præsentium  
 revocamus, cassamus, tollimus, abrogamus,  
 & annullamus, viribusque & effectu eva-  
 cuamus, ac revocata, cassa, sublata, abroga-  
 ta, & annullata, viribusque & effectu vacua  
 esse, & fore, nec Religionibus, Societatibus,  
 etiam Societati JESU, Congregationibus,  
 Ordinibus, ac Militiis, & Ecclesiis, Monaste-  
 riisque prædictis, eorumque Superioribus, &  
 personis quibuscunque in posterum ullo mo-  
 do suffragari, minusque illos, & illas, etiam si  
 de iis specialis, specifica, expressa, ac de verbo  
 ad verbum mentio habenda foret, indultis,  
 hujusmodi uti posse, præsentis verò literas,  
 & in eis contenta quacuncque etiam ex eo

D 7

quod



quod quicumque in præmissis interesse habentes, seu habere prætendentes, ad hoc vocati, & auditi non fuerint, de subreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis nostræ, vel alio quocunque defectu notari, impugnari, redargui, in jus, vel controversiam revocari, ad terminos juris reduci, aut adversus illas quodcunque juris, gratiæ, vel facti remedium impetrari nullatenus posse, sed illas semper validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere; sicque per quoscunque Iudices Ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de Latere Legatos, & Nuncios, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane quicquid secus super his à quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus, & declaramus. Non obstantibus præmissis, ac quibusvis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis,

licis,



licis, privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis, Ordinibus, Societatibus, & Congregationibus predictis eorumque Præpositis, Decanis, Magistris, Abbatibus, Ministris, Prelatis, Prioribus, Rectoribus, & aliis Superioribus, Capellanis, aliisque predictis, sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis decretis, in genere, vel in specie, ac aliàs in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque rotis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi presentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus.

rogamus.



rogamus, ceterisque contrariis quibuscun-  
 que. Volumus autem quod presentium tran-  
 sumptis, etiam impressis, manu alicujus No-  
 tarii publici subscriptis, & sigillo persone in  
 dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis ea-  
 dem prorsus ubique fides adhibeatur, quæ  
 ipsis presentibus adhiberetur si forent exhi-  
 bitæ, vel ostensæ: Quodque eadem presentes  
 literæ, seu illarum exempla ad valvas Basili-  
 carum S. Io. Lateranensis, ac Principis Apo-  
 stolorum de Vrbe, & in Acie Campi Floræ  
 affixa omnes ita arctent, & afficiant, ac si  
 unicuique personaliter intimata fuissent.  
 Dat. Romæ apud Sanctam Mariam Majo-  
 rem sub Annulo Piscatoris, die 12. Septemb.  
 M. DC. XXVIII. Pontificatus Nostri Anno  
 Sexto.

M. A. Maraldus.

Anno Millesimo sexcentesimo vigesi-  
 mo nono. Indictione duodecima  
 Pontificatus autem Sanctissimi D.N.  
 Papæ Domini Urbani divina provi-  
 dentia



dentia Papæ Octavi, Anno ejus Sexto, die verò lunæ Octava Januarii. Retroscriptæ literæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Basilicarum S. Joannis Lateranensis, ac Principis Apostolorum de Urbe, & in acie Campi Floræ, ut moris est, per nos Franciscum Pignoccatum, & Pompejum Girantum ejusdem Sanctissimi D. N. Papæ Cursores.

*Brandimartes Latinus pro Mag.  
DD. Curs.*

*Regulares non possunt pœnitentes suos à casibus Sedi Apostolica & Ordinario Diocesano reservatis absolvere sine speciali licentia.*

LII. Veruntamen ne Regulares cujusvis Ordinis, Congregationis, Societatis, & Instituti etiam Archiepiscopali nostra auctoritate Ordinariâ approbati potestati suæ limites transcendant, quæ  
Sacra



Sacra Congregatio Cardinalium, qui  
Episcoporum & Regularium negociis  
& consultationibus præsumt, circa fa-  
cultatem absolvendi à casibus Sedi  
Apostolicæ, & Ordinario reservatis de-  
claravit, ex ipsiusmet Congregationis  
subjectis hic verbis quisque cognoscere  
potest.

Declaratio Sacræ Congregationis Epi-  
scoporum, & Regularium, circa facul-  
tatem absolvendi à casibus Sedi  
Apostolicæ, & Ordinario  
reservatis.

**S**acra Congregatio S. R. E. Cardinalium  
negociis, & consultationibus Episcopo-  
rum, & Regularium præposita censuit, per  
Confirmationes Privilegiorum, quas Regu-  
lares à Sede Apostolica post Sacrum Conti-  
lium Tridentinum obtinuerunt, nequaquam  
revixisse privilegia prius ab eodem Concilio,  
ac deinde etiam ipsius Congregationis de-  
cretis sublata, atque extincta, si quæ habe-  
bant.



bant, absolvendi à casibus Ordinario loci reservatis; Quemadmodum nec indulta absolvendi à casibus contentis in Bulla, quæ in die Cœne Domini legi consuevit, utpotè sublata per annuam ipsius Bullæ publicationem, vires, aut robur acquisivisse ex subsequentibus privilegiorum Confirmationibus: Ac proinde Regulares cujusvis Ordinis, Congregationis, Societatis, & Instituti, etiam necessario exprimendi, nec intra, nec extra Italiam in vim privilegiorum, aut Confirmationum ejusmodi, quas vel hactenus obtinuerunt, vel deinceps forte obtinebunt, posse quemquam absolvere ab eisdem casibus in Bulla Cœne, aut Ordinario loci reservatis: Ac si secus egerint, absolutiones nullas, atque irritas fuisse, ac fore, Ab aliis verò casibus, & censuris Sedi Apostolicæ reservatis, si quidem Regulares habeant à Sede Apostolica absolvendi facultatem, illam extra Italiam minimè sublata fuisse iisdem Sac. Congregationis decretis hac de re editis jussu Sanctissimi Clementis VIII.

Quam



*Quam Sacra Congregationis sententiam Sanctitas Sua ad se relatum approbavit, mandavitque ab omnibus, ad quos pertinet, inviolabiliter observari. Romæ 17. Novembris 1628.*

F. A. Card. S. Honor. fr.

P. Fagnanus Secr.

*Regularibus omnibus vetitum est ministrare secularibus personis Sacramenta Baptismi, & extra suas Ecclesias, Eucharistia: item Extremæ Vnctionis, & Matrimonii.*

LIII. Quod Regularibus omnibus de confessionibus secularium audiendis, id quoque non in nori ratione de administratione Baptismi, vel Sacrosanctæ Eucharistia: extra suas Ecclesias, vel Extremæ Vnctionis, ac multò magis de solemnizatione aut benedictione Matrimonii, quæ debent à propriis Parochis



rochis ministrari, est vetitum; Proinde nulli Regulares, nisi de expressa nostra, vel nostri Vicarii Generalis, vel proprii Parochi licentiâ, audeant extra suas Ecclesias ulla Sacramenta, præter pœnitentiæ, administrare; quin etiam, si audierint alicujus infirmi confessionem in domo privatâ, id significant proprio ejus Pastori; sed nullatenus præsumat ægroto deferre secretò & sine lumine Sacro-Sanctam Eucharistiam, quod ne quidem ipsis Pastoribus permittitur; nec sollicitent ipsos ægrotos ad eligendum in ipsorum Ecclesiis sepulturam; & si sponte eam elegerint, Ecclesiæ nihilominus Parochiali sua jura serventur.

*Clem. Religiosi, de privileg.*

*Missæ in privatis ædibus non celebranda.*

LIV. Quod concedi consuevit desiderii diuturno morbo laborantium, de Missa in suis ædibus interdum celebranda,



branda, paulatim longius progressum est, & tandem in apertum abusum contra sacros Canones (a) irreligiosè usurpatū. Cui malo occurrere volens Conc. Trid. (b) (ut omnis irreverentiæ circa Missæ Sacrificium tollatur occasio) statuit & absolutè ordinavit, ne quis secularis aut regularis privatis in domibus atque omninò extra Ecclesiam & ad divinum tantum cultum dedicata oratoria, ab Ordinariis designata & visitata, Sanctum Missæ Sacrificium peragere præsumat. Quæ quidem ordinatio ut pro rei gravitate exactiorem observationem habeat, severè injungimus omnibus & singulis Civitatis & Archidiecesis nostræ Pastoribus ac Presbyteris, tam secularibus, quam regularibus quibuscunque, ne quisquam prætextu cujuscunque antiquæ consuetudinis vel statuti, aut privilegii deinceps dictæ ordinationi Concilii Tridentini controveniat, nec in privatis ædibus aut omnino extra Ecclesiam seu Oratorium  
ad



ad divinum tantummodo cultum dedicatum, & Archiepiscopali nostra auctoritate designatum & visitatum, Sacrosanctum Missæ Officium celebrare audeat; mandantes pariter laicis quibuscunque, ne per aliquos Presbyteros etiam exemptos, in suis ædibus Sacrificium Missæ, aliqua ratione celebrari petant, aut patiantur. Si quis autem hunc decreto Tridentino, & prohibitioni nostræ contravenerit, tam is qui celebraverit, quam qui Sacerdotem ad celebrandum requisiverit, aut admitterit, arbitrio nostro graviter punietur, non obstantè Apostolico privilegio, quo ei facultas id faciendi indulta erat; nisi illud prius nobis aut Generali nostro Vicario exhibitum & Archiepiscopali nostra auctoritate approbatum fuerit. Pastores autem subditos suos, qui morbo detenti, Ecclesiam visitare non possunt, doceant ut pia devotione preces suas jungant cum illis, qui corporali præsentia divinis officiis intersunt.

Et



Et ut ad excitandam devotionem observent divinorum officiorum tempora, vel campanarum pulsus, per quem significatio fit Sacrorum quæ in templis peraguntur, & ubi corpore adesse non possunt, corde & piis orationibus sese præsentem statuunt. Quod dum religiosè faciunt, & obedienter ordinationibus parent, per quas antiqui Canones in usum revocantur, plus in vera pietate proficiunt, quam si ex privata devotione, ad domesticas Missas importunè consensum extorqueant, vel sub prætextu privilegii, irreligiosam foveant singularitatem.

(a) *cap. sicut, cap. Missarum, cap. hic ergo, cap. nullus Presbyter, cap. non oportet, c. Clericos, de consec. dist. 1.* (b) *Concil. Trid. sess. 22. in decret. de obser. & evit. in celebratione Missæ.*

*Nemo*



*Nemo ignotus seu peregrinus, etiam Regularis ad celebrandam Missam, Sacramenta ministranda, aliave divina peragenda admittatur absque licentiâ Archiepiscopali.*

L V. Ne per vagos (a) aut ignotos Sacerdotes aliquid novi in ritibus & ceremoniis divini officii introducatur, vel alioquin nascatur scandalum, aut irreverentia, quæcunque, cum Sacrum Oecumenicum Concilium Tridentinum, tum prædecessores nostri Archiep. Colon. (b) rectè statuerunt, de vago, ignoto, aut peregrino Clerico aut Sacerdote non admittendo ad Sacra ministeria, firmiter observari mandamus, atque omnibus modis interdiciamus, ne quis vagus, ignotus, vel peregrinus Clericus aut Sacerdos, etiam Regularis in ulla Civitatis vel Diœcesis nostræ Ecclesia sive seculari, sive regulari, ad celebrandam Missam, Sacramenta administranda, aut etiam ad prædicandum

E dum



dum verbum Dei, aliosve Sacros actus admittatur, nisi ostensis prius sui Ordinatoris litteris, quæ formatæ vulgò nuncupantur, & Ordinarii sui authenticis testimonialibus ac dimissoriis litteris, quibus videlicet de ordinatione sua legitimè adepta, deque vitâ, moribus, eruditione ac titulo fidem faciat, doceatque nullo Ecclesiastico impedimento se ab executione ordinis arceri. Et ne aliquando falsæ litteræ ad sacrificandum obtrudantur, omnium Ecclesiarum Rectoribus, Pastoribus & Superioribus præcipimus, ut deinceps nullum Sacerdotem alterius Diœcesis, ad Sacro-Sanctum Missæ officium celebrandum in suis Ecclesiis admittant, aut in Sacellanum, Chori socium, vel Cantorem recipiant, nisi prius ipsis litteratoriè constiterit, quod litteræ testimoniales ac dimissoriales hujusmodi per Nos seu Vicarium nostrum Generalem visæ fuerint & examinatæ, quodque qui illas præsentat in his quæ ad vitam, mo-

res,



res, doctrinam, nec non ad ritus & cæ-  
remonias Sacrificii Missæ pertinent, di-  
ligenter examinatus fuerit, & ad cele-  
brationem Missarum, aut Sacramento-  
rum administrationem approbatus.

(a) Conc. Trid. sess. 22. in decret. de obser.  
& evit. in celebratione Missæ, & sess. 23. de  
reform. c. 16. in fine. (b) Statuta VVich-  
boldi Archiep. Colon. cap. 3. pag. 51. Henrici  
Archiep. Colon. c. 10. p. 63. Philippi Archiep.  
Colon. p. 283. Adolphi III. Archiep. Colon.  
pag. 462. col. 1. §. post hæc. Concil. Provinc.  
Colon. sub Hermanno V. p. 1 c. 31. Conc. Sy-  
nodale sub Ernesto An. 1598. tit. 4.

1. In Ecclesiis violatis ante reconciliationem  
non fiat Sacrificium.
2. Altarium portatilium usus tollitur.

LVI. Denique mandamus inno-  
vando decretum Synodi Diœcesanæ  
sub decessore nostro Henrico (a) Ar-  
chiep. Colon. habitæ, ne quis in Eccle-  
siis seu Sacellis violatis Sacrificium  
E 2                      faciat,



faciat, ante solemnem eorum reconcilia-  
tionem : & cum Altaria lapidea pari-  
ter & fixa esse debeant, non autem de  
loco in locum portatilia, horum proin-  
de usum ad populi commoditatem, ur-  
gente necessitate latè permissum rectè  
iustulit tam Conc. Trid. quàm Colon.  
Quare ne quod ad tempus duntaxat &  
ex gravi causa concessum est, con-  
tra Canonicas sanctiones, & ad ir-  
reverentiam Sacro - Sancti mysterii  
Missæ trahatur in consuetudinem, volu-  
mus omnino, ut sicubi Ecclesiæ vel Al-  
taria violata sunt, aut destructa, ea cum  
primum fieri poterit, instaurentur, &  
Sacris usibus per Episcopalem reconcilia-  
tionem, vel consecrationem resti-  
tuantur, eo que facto ibidem Altarium  
portatilius usus penitus interdicator.  
Quocirca omnem facultatem quibus-  
cunque personis sive laicis, sive Cleri-  
cis, aut Sacerdotibus, & his tam Regu-  
laribus, quam secularibus ordinaria au-  
toritate factam, ut eis Altari portatili



uti liceat, exsententia Prædecessorum  
nostrorum (b) Wilhelmi & Herman-  
ni Archiepiscoporum Coloniensium  
revocamus, ac revocatam esse hoc de-  
creto sancimus.

(a) *Statuta Henrici Archiep. Coloniens.*  
p. 102. col. 2. n. 12. (b) *Statuta VVilhelmi*  
*Archiep. Colon. c. 24. pag. 173. & 174. Sta-*  
*tuta Hermanni IV. Archiep. Colon. §. 26.*  
*pag. 275. col. 1. in pr.*

In cujus rei fidem hæc manu nostra  
subscriptas, sigillo nostro jussimus com-  
müniri. In Oppido nostro Bonna, die  
22. Augusti Anno 1644.

Ferdinandus.

*Vidit Veorgius Paulus Stravius*  
*Episcopus Ioppensis, Suffraga-*  
*neus Coloniensis & Vicarius*  
*Generalis.*

Everhard. Richarts.

E 3

SUM





## S V M M A R I V M.

**M**agna habenda promovendorum ad  
Sacros Ordines ratio, pagina 3.  
& 4.

Ordines à quo Episcopo accipiendi, num. 1.  
pag. 5.

Examen Ordinandorum precipuè incumbit  
Vicario in Pontificalibus generali, ibid.  
& num. 27. pag. 45.

Literæ dimissorix à quo impetranda, num. 2.  
pag. 7.

Illegitimè nati nec primâ tonsurâ, nec ullo  
Ordine initiandi sunt, nisi præhabita su-  
per defectu natalium dispensatione, n. 3.  
pag. 8.

Ordinati habeant testimonium Ordinis sus-  
cepti ab Episcopo Ordinatore, numer. 4.  
pag. 9.

Requi-



## SUMMARIUM.

Requisita in eo, qui Clericali tonsurâ initiari cupit, n. 5. pag. 10.

Formula testimonialium per Pastorem dandarum super natalibus, Baptismo, etate, & Confirmatione Ordinandorum, n. 6. pag. 11.

Alia formula testimonialium à Pastore dandarum, quando, deficiente libro baptizatorum & Confirmatorum, ex depositione testium, n. 7. pag. 13.

Desiderata in iis, qui ad minores Ordines promoveri petunt, n. 8. pag. 14.

Minores Ordines non nisi per temporum interstitia conferendi sunt, ut Ordinati exerceant Ordinis suscepti officium; revereantur Superiores in Ordine, frequenter Sacram Communionem sumant, numer. 9. pag. 15.

Nullius ordinis ministerium præstetur ab eo, qui in illo Ordine non est, numer. 10. pag. 17.

Deficientibus Clericis cœlibatum colentibus qui ministeriis quatuor Minorum Ordinum exercendis præsto sint



## SUMMARIUM.

sufficiantur conjugati monogami tonsu-  
rati & induti Clericaliter in Ecclesia  
ibid.

Ordines majores per temporum interstitia  
conferendi, n. II. pag. 17.

Ordinibus majoribus initiandi, uno mense,  
ante Ordinationis tempus, Parochum  
suum adeant, & curent proclamationes  
sui ad formam proclamationum matri-  
monialium fieri, n. II. pag. 17.

Quo modo ac tempore trina proclamatio sit  
facienda, n. 12. p. 19.

Formula faciendi proclamationem pro Or-  
dinando, n. 13. pag. 20. & 21.

Formula testimonii per Pastorem dandi de  
proclamatione facta pro Ordinando, nu-  
mer. 14. pag. 22.

Quinam ab Ordinibus excludendi, num. 15.  
pag. 23.

Pastores & Concionatores populum ad oran-  
dum pro Ordinandis hortabuntur, n. 16.  
pag. 30.

Subdiaconus vel Diaconus, antequam ad  
supe-



## SUMMARIUM.

superiorem Ordinem promoveatur, quales sibi libros comparere debeat, num. 17.  
pag. 31.

Ad Ordines Sacros admittendi, qualia testimonia debeant adferre, numer. 18.  
pag. 33.

Ætas Ordinandorum ad Subdiaconatum, Diaconatum, & Presbyteratum servanda etiam per Regulares examinandos ab Episcopo Diocesano, n. 19. p. 34.

Ordinatorum ante etatem, extra tempora à jure statuta, & sine litteris dimissoriis, pœna, ibid.

Nemo ordinandus est absque Canonico titulo beneficali pacificè possesso, numer. 20.  
pag. 36.

Subdiaconi non ordinentur qui non sperant se continere posse, ibid.

Titulus Ordinandorum qualis, & plura quæ eò spectant, n. 21. p. 37.

Monitio ad initiandos Sacro Diaconatus Ordine, n. 22. p. 39.

Monitio ad initiandos Sacro Presbyteratus

E s

ratus



## SUMMARIUM.

ratus Ordine, numer. 23, pagina 40.

Testimoniales requisita ab iis, qui in Collegiata sunt beneficiati, vel in Gymnasio degunt: item à Religiosis quibuscunque, num. 24. pag. 41.

Regulares exhibeant sui Superioris testimoniales de professione emissa, eamque jurent sponte factam esse, aut ratam habitam, n. 25. pag. 43.

Ordinandi quando, & ubi comparere debeant ad examen; & quales ad examen non admittendi, n. 26. p. 44.

Ordinandorum examini Vicarius in Pontificalibus Generalis interesse debet & praesse, n. 27. pag. 45. & n. 1. p. 5.

Iuramentum ab Examinatoribus praestandum, n. 28. p. 48.

Ordinibus Sacris insigniendus, examen subeat, an propositum ejus sit pium, sanctum ac firmum, & quantum possit in Horariis precibus recitandis, n. 29. p. 49.

Ordinatus tenetur Horas suas Canonicas quotidie legere, ibid.

Exami-



## SUMMARIUM

Examinetur etiam in cantu Choralis, n. 30.

pag. 50.

Ad suscipiendam primam tonsuram, aut minorum Ordinum aliquem admissi, quo tempore, loco, & habitu comparere debeant, n. 31. pag. 51.

Clericalis tonsura semper gestanda, & quoties renovanda, ibid.

Tonsura Clericalis quid sibi velit, ibid.

Ad fori privilegio gaudendum, requiritur gestatio habitus & tonsura Clericalis, ibid.

Tonsura quali Clericis, quali Subdiaconis, Diaconis, Sacerdotibus, Pralatis utendum, n. 32. pag. 52.

Ad majores Ordines suscipiendos admissi quo quo die, hora, loco & habitu comparere debeant, & coram quo fidei professionem facere, n. 33. pag. 54.

Qualia, & cujus coloris paramenta ordinandi adferre debeant, n. 34. pag. 55.

Majoribus Ordinibus initiandi se preparant ad Sacram Communionem Sabbato or-



## SUMMARIUM.

dinationis die sumendam, numer. 35.

pag. 55.

Singuli Sacro Presbyteratus Ordine initiandi, adferant mappulam mundam, ac Missale Romanum, numer. 36. pagina 57.

Ordinati Sacerdotes intra 40. dies primitias celebrare tenentur, sed prius literas suscepti Sacerdotii exhibere, numer. 37. pag. 58.

Ritus in Missa servandi, sint ubivis uniformes, n. 38. p. 59.

Uniformitas Sacrorum Rituum & caeremoniarum in omnibus officiis Ecclesiasticis adhibenda, n. 39. p. 64.

Interest ad Catholicae Religionis dignitatem & unitatem servandam, uniformitatem caeremoniarum in Sacramentorum ministracione adhiberi, numer. 40. pagina 65.

Rituale seu Pastorale Romanum commendatur, ibid.

Nemo ad Parochialem Ecclesiam, aliudve benefici-



## SUMMARIUM.

Beneficium curatum promoveatur, admittatur, vel instituat, nisi pravo examine Ordinarii Diocesani, approbatione ab eo in scriptis obtenta, & fidei professione facta, numer. 41. pagina. 67.

Pastoralem jurisdictionem usurpans sine ordinaria approbatione Archiepiscopali quam pœnam incurrat, numer. 42. pag. 70.

Pastorum officium, num. 43. pag. 72.

Pastores jure divino ovibus suis assidue adesse debent, etiam periculi & pestis tempore; nec ad mensam à Parochia sua abesse possunt, sine licentia Archiepiscopali, n. 44. pag. 73.

Pastores intra limites suæ Parochiæ, & in Pastoralis, vel alia domo Ecclesiæ proxima habitent, n. 45. p. 75.

Idem quoque faciant Custodes. ibid.

Iuramentum ab animarum Curatoribus præstandum, n. 46. p. 76.



## SUMMARIUM.

Quando aliò se recipere cogentur, quid præstare debeant, n. 47. pag. 77.

Archipresbyterorum seu Decanorum Ruralium officium, n. 48. pag. 78.

Pastorum quoque Vicarii, Capellani, & Adjutores; ordinaria auctoritate Archiepiscopali approbandi sunt ad curam animarum, n. 49. pag. 79.

Presbyteri omnes etiam Regulares debent antea ab Episcopo Diocesano approbari, quàm secularium seu Monialium etiam ipsis Regularibus subjectarum audiant confessiones, n. 50. pag. 81.

Revocatio omnium indultorum quibusvis Religionibus, Societatibus, & Ordinibus quomodolibet concessorum audiendi secularium confessiones absque Ordinarij examine & approbatione, n. 51. pag. 82.

Regulares non possunt pœnitentes suos à casibus Sedi Apostolica & Ordinario Diocesano reservatis absolvere sine speciali licentia, n. 52. pag. 89.

Regularibus omnibus vetitum est ministrare  
seculari-



## SUMMARIUM.

secularibus personis Sacramenta Baptis-  
mi, & extra suas Ecclesias, Eucharistia:  
item Extrema Vnctionis & Matrimonii,  
n. 53. pag. 92.

Missae in privatis adibus non celebranda, nu-  
mer. 54. pag. 93.


Nemo ignotus seu peregrinus, etiam Regula-  
ris ad Missam celebrandam, Sacramenta  
ministranda, aliave divina peragenda  
admittatur absque licentia Archiepisco-  
pali, n. 55. p. 97.

In Ecclesiis violatis ante reconciliationem  
non fiat Sacrificium, n. 56. p. 99.


Altarium portatilius usus tollitur. ibid.

F. I. N. I. S.



































Th

2768